ANIMADVERSIONES

IN

CONSTITUTIONEM

MORBORUM STATIONARIAM

EJUSQUE

CUM SIDERUM LABORIBUS NECESSITUDINEM.

AUCTORE

FRANC. NOB. AB HILDENBRAND,

MEDICINAE DOCTORE, ARTIS OCULARIAE MAGISTRO, PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE, THERAPIAEQUE SPECIALIS IN CELEB. UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORE P. O. NOSOCOMII ET BREPHOTROPHEI TICINENSIS DIRECTORE EMERITO; ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATURAE CURIOSORUM, SOCIETATIS SCIENTIARUM PHYSICO-MEDICARUM AD RHENUM INFERIOREM, MEDICO-CHIRURGICAE BEROLINENSIS, REGIAE SCIENTIARUM ACADEMIAE TAURINENSIS, ET NEAPOLITANAE SODALI.

VINDOBONAE.

IMPENSIS J. G. HEUBNERI.

MDCCCXXXI.

Sunt utique Astrorum in haec inferiora influxus, quos velle negare magna dementia esset; at modus, quo agant, id omnino indeprehensibile est.

Ramazzini Constit. epid. A. 1690. XXX.

Typis
Viduae Antonii Strauss.

VIRO

ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO,

DOMINO DOMINO

JOANNI NEP. NOB. A RAIMANN,

MEDICINAE DOCTORI,

SAC. CAES. REG. APOST. MAJEST. ARCHIATRO,

AD EXCELS. REGIMEN AUST. INFER. CONSILIARIO,

PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE THERAPIAEQUE SPECIALIS IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORI, NEC NON NOSOCOMII UNIVERSALIS ET BREPHOTROPHII DIRECTORI EMERITO; C. R. ACADEMIAE JOSEPHINAE MEDICO-CHIRURGICAE VINDOBONENSIS MEMBRO HONORARIO; SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE DRESDENSIS, PHILOSOPHICO-MEDICAE WURZEBURGENSIS, ET MEDICO-CHIRURGICAE BEROLINENSIS SODALI,

OBSERVANTIAE ATQUE VENERATIONIS

MONIMENTUM.

Illustrissime Vir!

Benigna fronte velim accipias tenuem, qui animo Tibi devotissimo sacratur, libellum, tamquam insignis cultus summaeque observantiae pignus. Exigua sunt, fateor, quae offero, sunt Calabri hospitis xenia; sed nil majus habentem non despice. Macras, quae meritis carent, pagellas, Tui nominis clypeo munitas, desiderato potiri sinas ornamento. Si conatus meos Tibi haud displicuisse, Tuamque veniam demeruisse intellexero, en me votorum compotem! Hac spe fretus, hac fiducia roboratus omnem adhibere curam studebo, ne saltem praeconceptam de tantillo ingenio perdam existimationem. Interim solatur me voluntas, in argumento tam intricato et caliginoso meam qualemcunque operam pro viribus impendisse.

Tu jam limen Templi, quod honori et virtuti consecratum est, laetus et ovans ingredere, evigilati consilii, prudentiae, laborumque indefessorum fructus decerpturus. Tibi, de scientiis, de arte medica, de patria optime merenti, Tuaeque prosapiae fausta semper arrideat sors, incolumisque valetudo. Nil tum mihi amplius restat desiderii, quam ut animum semper benevolum conservare non dedigneris erga

Devinctissimum Tibi Auctorem.

ANIMADVERSIONES

IN

CONSTITUTIONEM

MORBORUM STATIONARIAM.

Harmonicus corporum coelestium concentus, nulloque fato variandus cosmicarum revolutionum circuitus, — Divinae sapientiae apocalypsis miranda, — aeternas illas ponit atque sustinet naturae leges, quibus obsecundant cuncta telluris phaenomena, quibus obtemperare cogitur, quidquid veget, vivit, et spirat. Quaevis entia, quae infinita varietate et multitudine terraqueum incolunt globum, partim ejus cortici infixa, partim mobili pede circumvagantia, partim aequoreis recondita fluctibus, numen phasium grandi-mundialium adprime sequantur, oportet. Sunt enim genitoris planetae, et unacum illo Universi totius particulae.

Similia patitur humana Physis. Innumeris profecto est obnoxia metamorphosibus, mox periodicis, mox inordinatis ac pene exlegibus, sive spectemus phaenomena, quae illibatae valetudinis exhibent simulacrum, sive illa, quae immensam constituunt aegritudinum catervam. Ephemera et caduca viventium existentia jam rationem includit, cur saepe saepius nequidem ordinariis anni temporum ac tempestatum vicibus impune resistere valeant. Tanto minus itaque genus humanum multifaria, eaque gravissima effugere poterit mala, si graves, rapidae, aut insolitae in tellure eamque ambiente atmosphaera contingant mutationes. Quum vero istae nuspiam arctioribus spatii circumscribantur cancellis, sed super plus minusve vastam terrae plagam incumbant; ipsae clades inde oriundae non uni, sed pluribus una hominibus parabunt insidias.

Quotiescunque igitur improvisae, insolitae, et graves in macrocosmo accidant conversiones, inevitabilis erit novae epidemiae ortus, vel jamjam existentis modificatio. Atque versa vice: quotiescunque vigens character morborum popularium notabilem sortitur variationem, vel plane nova inauspicato exsurgit constitutio epidemica; de cosmica, vel tellurica quadam revolutione oborta satis tuto arguendum. Novimus e fastis morborum epidemiorum et pestilentialium, quos eruditissimus medicus Schnurrer summa diligentia et ἀκριβεία collegit, inque chronologicum ordinem digessit [1]), quod eorum irruptionem vix non constanter uranicum quoddam phaenomenon, aut insignia μετέωρα praecedebant, vel comitabantur, uti cometae, eclipses, globi igniti, trajectiones stellarum, terraemotus, aërolithi, turbines, diluvia, fulgura, aliaque similia.

Ita sane accidit anno 1820, quo epidemica constitutio necopinam mutationem passa, parique tempore completa Solis eclipsis fervidissimam aestatem sequuta est. Die utpote 7. Septembris, hora 1, 23′ post meridiem, Sol obscurari coepit; hora 2, 51′ integer discus occultatus adparuit, caligine maximum culmen adepta; atque hora 4, 14′ pristinam denuo Phoebus in toto ambitu recuperavit lucem. Ingrediente Solis deliquio barometrum pollices 28.0.4, thermometrum gradus 18.8, hygrometrum gradus 45 signabant, atque exiguam tantum in eclipseos culmine obtulerant depressionem. Auram undiquaque serenam lenissima Caeciae spiramenta perflarunt. Idcirco lucis defectus, etsi vix major, quam diebus aequabiliter nubilis observari solet, ineffabili ratione commovit animos, rarioris phaenomeni majestatem tacite admirantes, quos, excusso luctuoso velamine, Sidus lucidum et ridens rursus exhilaravit. Quae directe exceperunt languidi luminis radios, objecta, caerulescentem ludere videbantur colorem.

---

[1]) Chronik der Seuchen. 2 Thle. Tübingen 1823 u. 1825.

Jam aestivis ejusdem anni mensibus, Julio et Augusto, notabilem extitisse febrium nervosarum et morborum asthenicorum numerum, ipsasque febres intermittentes ominosis terruisse symptomatibus, alia occasione indicavimus [a]). Defetiscente paulatim aestu, mensis Septembris meliorem hominibus sortem polliceri videbatur. Re quidem vera conticuit insidiosus ille febrium epidemiarum character, qui plures immolavit victimas, geniusque autumnalis suetam sulcare occepit orbitam. Ast mensis dimidio vix emenso nova et inauspicata prorumpit calamitatum turma. Ordinariae febres catarrhosae et gastricae, lenitatis fuco incautiores decipiendo, repentino virium lapsu ancipitem reddunt aegrorum sortem Diarrhoeae atque dysenteriae, utut a communibus ac levibus causis ortae, efficacissimos saepenumero eludunt medentium conatus. Febrium intervallatarum nonnullae praecipiti paroxysmorum circuitu in subintrantes mali moris, lentasque nervosas convertuntur; aliae concussis oeconomiae animalis elateribus diutinas ac refractarias insolito numero pariunt cachexias, hydropes, icteros, melaenas, physconias, marcores. Haecce consectaria illis tantum in casibus anteverti, vel saltem cicurari possunt, ubi Cinchonaceorum et cardiacorum opes sine mora implorantur.

Consimili ferme passu decurrit mensis October. In cunctis morbis, maxime febrilibus, subdola quaedam transparet malitia, in anomalias proclivitas, atque renisus erga consuetas medendi rationes, quin plausibilis patescat causa.

Subsequo Novembri et Decembri sua equidem jura imminentis brumae imperium defendit. Grassantur prae aliis organorum spiritalium phlogoses. Desideratur tamen illa multitudo, illa vehementia, et illa in decursu regularitas, quam praecedenti triennio observare consuevimus. Peripneumoniae fallaci imponunt gravitate. Ad largas et repetitas invitant phlebotomias. Obsecundat doloso nutui medicus consuetudine

---

[a]) Annales scholae clinicae Ticinensis. Pars altera. 1830, pag. 171.

inductus. Ast brevi eum poenitet inconsiderata in profundendo latice vitali prodigalitas. Corruunt vires aegrotantis, et unacum illis spes criseos exoptatae. Modo character subrepit nevrasthenicus, ejusque tristis comitatus. Modo, si foras pulsantem debilitatem in limine reprimere licuerit, tardigrada saltem convalescentia aegrum et medicum taedet. Modo blennoptyses pervicaces haud viliori periculo terrent. Modo serosus latex, victis vasorum exhalantium repagulis, thoracis caveam lethali inundat rivo. Medicatrices naturae vires tantam universim in febribus acutis offerunt imbecillitatem, ut solemnibus atque decisivis crisibus efficiundis plerumque impares evadant. Repetitis nonnisi moliminibus salutis via veluti per gradus aperitur. Nullam vidimus peripneumoniam, quae ante nonam solveretur diem.

In cunctis morbis, popularibus et sporadicis, acutis et chronicis, manifestus in languorem et atoniam animadvertitur nisus, summam jubens in subministrandis praesidiis antiphlogisticis circumspectionem. Febres typhosae plerumque tres cyclos septenarios excurrunt, per intercisas et vix distinguendas crises dissipatae. Exanthemata obsolete florent; erysipelata in oedema nituntur. Metastases, jam a pluribus annis rarissime visae, adeo frequenter obveniunt, ut non solum febres e deleterio quodam fomite oriundae, sed etiam insontes peripneumoniae improvisos rubores erysipelatosos, abscessus juncturarum, vel parotidum pararent. Singularem vero adtentionem excitare debuit insolita frequentia nevrosium, quarum omnigenae passim occurrebant formae.

„Levissimae et ab aegrotantibus plurimum praetervisae „causae *Kephalaeas*, *Nevralgias*, *Manias*, *Hystericismos*, *Cho-„reas*, *Pareses* progignere sunt visae, in quibus omnibus „nevrosium speciebus character debilitatis torpidae, vel „erethici languoris, nunquam vera hypersthenia et vitalis „roboris excessus adparuit. In anni temporum, vel tem-„pestatum vice phaenomeni ratio incassum quaereretur; at-„mosphaerae conditiones neque tales fuere, quales nervis

„insidiari consuescunt, neque sub variatis anni temporum „vicibus adeo constantem effectum producere potuissent. „Propterea nec annuam, nec intercurrentem quandam con- „stitutionem *insolitum illum nevrosium numerum* provocare po- „tuisse, nobis satis evidens videbatur [3]).“

Ejusmodi rerum status, variatis unice per anni tempora et mutatam inde constitutionem periodicam circumstantiis, quasi per triennium durare visus est. Gelidissima tandem hyems cum anno 1823 ingressa, ac per totam Europam insueto saeviens rigore, dominantem morborum characterem nevrasthenicum extinxit, eique oppositum adduxit, gravissimam utpote constitutionem inflammatoriam, illi non absimilem, quam anno 1818 et 1819 observavimus.

Quum *constitutionis stationariae* nomine intelligatur ea, quae indeterminato hactenus annorum curriculo continetur, quae sine ratione anni temporum et tempestatum ordinariarum nascitur, sensim invalescit, viget, iterumque decrescit; quae alteri alius indolis subnascenti locum cedit; quae morbis epidemiis annuis et intercurrentibus non minus ac sporadicis imperat; — ita nostro in casu *ingenium epidemiae stationariae manifestam subiisse mutationem*, extra dubitationis aleam positum erat. Re quidem vera adtentiorum medicorum neminem effugere potuit certus quidam omnium morborum in adynamiam nisus, inflammationum vigor universim adtenuatus, decurrendi modus minus praeceps, symptomatum versabilitas insueta, crisium cunctatio, moderationis necessitas in usu remediorum debilitantium et maxime phlebotomiae, summaque ex adverso therapiae excitantis et cardiacae rato tempore adhibitae praestantia Superstes itaque jam ab aliquot annis *character stationarius* hypersthenicus, ante meum in Ticinensi urbe adventum evolutus, (quem anno 1817 grassanti typho contagioso inflammatorium characterem impressisse, atque crebras et vehementes phlogoses fovisse,

---

3) Annales scholae clinicae Ticinensis. Pars altera. 1830. pag. 239 et 240.

alibi retuli) [4], labente aestate anni 1820 in *asthenicum* fuit conversus, iterumque *hypersthenicam indolem* recuperavit ingruente bruma anni 1823. Priorem auspicata est aestas fervidissima, et totalis Solis defectio, die 7. Septembris 1820 facta; alteram hyems rigidissima, atque plenaria Lunae eclipsis, quae die 26. Januarii 1823 accidit.

Mens humana, nisi testudinis induat naturam, solo phaenomenorum intuitu acquiescere nequit. Quamquam artem medicam primum genuerit observatio et usus, ea tamen etiamnum vagiret in cunis, si vires ab analogismo, et perfectionem a ratione non accepisset. Solae enim observationes, utcunque frequentissimae sint, confusam duntaxat exemplorum copiam animis nostris ingerunt, nisi ea partim componendo, partim sejungendo illud nobismet ipsis lumen accendamus, cujus beneficio quidquid experientia compertum est, distincte atque ordinate distributum videmus, tam in principiis et causis, quam in progressibus et antecessionibus. Uberrima observationum seges chaoticam praeberet *σύμμιξιν*, nisi rationis adjumento coordinetur. — Qua de re prurivit animus illius quoque *causam inquirendi* mutationis, quam humana physis *sub ingressu novae constitutionis stationariae* patitur, ut inde determinatus morborum character per plures dominans annos quadantenus intelligatur.

Causam proximam constitutionis epidemiae qualiscunque nonnisi in potentiis grandi-mundialibus, sidereis utpote, telluricis, vel atmosphaericis quaerendam esse, nulli subjacet dubio. Diversa earum indoles differentiam constitutionis stationariae, annuae, menstruae, quotidianae, vel intercurrentis ponit. Epidemiam stationariam neque e periodico anni temporum circuitu, neque e communibus tempestatum vicissitudinibus oriri, ejus duratio, extensio, et decurrendi modus abunde testificantur. Hactenus principes consentiunt in rebus medicis observatores. Discrepant vero

[4]) Annales Clinicae Ticinensis. Pars prima. 1826 pag. 130.

atque vacillant in adsignandis fontibus. — „*Variae sunt*, in„quit summus Sydenham [5]), *annorum constitutiones, quae „neque calori, neque frigori, non sicco humidove ortum suum de„bent, sed ab occulta potius et inexplicabili quadam alteratione in „ipsis terrae visceribus pendent, unde aër ejusmodi effluviis conta„minatur, quae humana corpora huic aut illi morbo addicunt de„terminantque stante scilicet praefatae constitutionis praedominio; „quae exacto demum aliquot annorum curriculo facessit, atque „alteri locum cedit.*" Benditsch continuas, quae *in atmosphaera* accidunt, *elementorum aëreorum analyses atque syntheses*, dominantis constitutionis causam praecipuam esse, opinabatur [6]). Etiam celeb. Hufeland certa quaedam, per analysin chemicam non detegenda, (ergo ignota) craseos atmosphaericae vitia supponit [7]). Eximius Harles [8]), cui doctrina de constitutione stationaria plurimum luminis debet, *conversiones electro-magneticas telluris, ejusque atmosphaerae, per antagonisticam cum planetis relationem effectas* arguit. Ingeniosus Kieser *mutationes* quasdam *vivas* (?) sibi imaginatur *in vita telluris interna, super hominem quasi reflexas* [9]), modo ab idea Sydenhami parum diverso, ast multum obscuriori. — Alii hoc objectum silentio praetereundo, aenigma Oedipo solvendum relinquunt.

Meam adtentionem excitarunt *Solis et Lunae eclipses*; variatae, quae tunc temporis obtinere necessario debent, horum siderum relationes dynamicae cum tellure; indeque oriundae virium cosmicarum ac telluricae atmosphaerae

---

[5]) Opera medica. Genevae 1736. Sect. I. Cap. II. pag. 22.

[6]) Benditsch, über die stehende Constitution, und einige Krankheiten, welche 1797 u. 1798 in Steyermark beobachtet worden sind. Grätz 1799.

[7]) Journal der pract. Heilk. VII. B. 1. St. S. 102.

[8]) Die Constitutio stationaria, ihre Wichtigkeit, ihr Einfluß auf Krankheitsbildung etc. In Harles Jahrbüchern der deutschen Medicin. I. B. 1. und 2. Heft. Nürnb. 1813.

[9]) „Die Ursache des Wechsels der stehenden epidemischen Constitution liegt „wahrscheinlich in lebendigen Veränderungen des inneren Lebens der „Erde, und spiegelt sich in ihrem höchsten Product, im Menschenleben, „ab." (In Hufeland's Journal der pract. Heilk. 1825. 2. St. S. 8.)

ἐπαλλαγαί. Illa phaenomena duntaxat cum ingressu atque termino novae constitutionis morborum stationariae nimis arcte connexa fuerunt, quam ut neglectum, vel plane contemtum mereri viderentur. Qualiscunque autem sit mea *de potestate eclipsium in permutando constitutionis epidemicae charactere* conjectura, persuasum habeo, tanto validiora requiri argumenta, quanto majores in ea evincenda sese obtrudunt difficultates. Ne itaque mens ipsa, dilucidandis tenebris intenta, eclipseos subeat casum, ante omnia ad *experientiam,* optimam rerum magistram provocabo; utrum nempe e veridicis observationibus quidam eclipsium Solis, vel Lunae in humanum organismum constet influxus. Generalibus demum innixus naturae legibus, earumque in regenda hominum sorte dignitati, *rationem* consulere non omittam, an suadeat vel dissuadeat, adplaudat vel explodat praeconceptam opinionem. Qui in argumentis gravibus proprio ratiocinio nimiam praebent fidem, in erroneos facile detorquentur tramites. Quamobrem lubenter variis in locis ad valentissimorum scriptorum auctoritatem adpellavi, eorumque plane verbis usus sum, ut in magna rerum dubietate semper decet. Cum tantis autem Viris si et ego erraverim, gloriae mihi potius, quam ignominiae duco. Si votis responderent conatus, quod aequi decidere velint judices, leviculam in tenebris lucem eliciusse ex corde laetarer. Sin minus, ego ipse delusae phantasiae sterile figmentum Letheis committere undis non cunctarer.

Quum jam occasio praesto sit, rei abstrusae disquisitioni, licet viribus majori, vel ideo immorari placuit, quod admodum pauca universim in medicorum scriptis extent placita, eaque per transennam tantum commemorata. Lectoris benevoli taedium levare studui exemplis rarioribus et variatis, non absque negotio in unum collectis. Ast fortasse nec illis displicebo, qui ignorantiae caliginem praeferunt rationis luci, atque in rebus abstrusis profundum silentium anteponunt cuivis meditationis tentamini; Siderum labores enim tenebras pariunt, quas ipsi anxie quaerunt. Qui autem lucem, ut ego,

amant, illam quoque novis consiliis atque studiis dissipaturam fore eclipsin desiderabunt, quae hactenus laetos Cosmologiae medicae campos occulit, hodierno aevo minori sane, quam merentur, solertia cultos. Daedaleum ingressuro labyrinthum propitia esto comis Ariadne.

Jure mirabatur jam incomparabilis Ramazzini [10]), in describendis epidemiis nulli secundus auctor, quomodo Hippocrates, diligentissimus caeteroquin rerum omnium et maxime coelestium observator, Luminarium defectiones alto silentio transegerit, et quomodo Practici fere omnes Solis vel Lunae deliquia non pluris fecerint, quam eorundem Siderum oppositas et ordinarias coitiones. Si ex divini Praeceptoris sententia ad aequinoctia et solstitia solertissime advertere oportet, non incongruam erit, si medentes Clinici ad luminarium defectus oculos non solum, sed mentis quoque aciem intendunt.

Ex Historicorum scriptis atque chronicis libris varii aevi constat, post Solis Lunaeve labores haud raro funestissimas erupisse pestilentias, vigentes epidemias increbuisse, vel alienum duntaxat ingenium contraxisse, aliisque modis hominum salutem periclitatam fuisse. — Jam apud Thucydidem [11]) sequentia leguntur: „*Et Solis defectiones, quae* „*frequentiores acciderunt, quam unquam ante memoratae fuerint;* „*et apud nonnullos magnae siccitates, et fames ex ipsis natae, et* „*pestilens morbus, qui Graeciam non minimo detrimento affecit.*" — Plinius [12]) pestilentiae ex obscuratione Solis contractae meminit, cui suffitum ignis mederi ex Empedocle et Hippocrate probare instituit. — Anno 684 p. Chr. N., quo sexta Synodus Constantinopoli tenebatur, post Solis eclipsin pestis gravissima erupit, quae Papiam depopulata est, ut cives juga montium petere cogerentur [13]); neque minores in Anglia

---

[10]) Opera omnia medica et physica. Lond. 1717. pag. 109.

[11]) De bello Peloponnesiaco. Lib. I. 23.

[12]) Histor. natural. Lib. XXXVI. 69. p. m. 759.

[13]) Schedelii Opus de historiis aetatum mundi. Norimb. 1493. Fol. 157.

et Hibernia edidit strages. — Anno 827 unacum Solis eclipsi tussis comparuit epidemica, quae pestilentiae instar diffundebatur [14]). — Anno 1003 Solis defectum brevi excepit pestifer morbus Saxoniam depopulans. — Anno 1021, septimo regnantis Imperatoris Henrici, Solis eclipsis facta, et insignis terrae motus, quibus confestim, in Italia maxime, valida fames, pauloque post tanta pestis sequuta est, ut plures mortui quam superstites haberentur [15]). — Anno 1093 post Solis defectum inaudita hominum mortalitas fuit observata, quae in Gallia et Germania tantum adtigit gradum, ut plura oppida morte prorsus exinanirentur, ac publica coemeteria recipiendis cadaveribus non sufficerent [16]). — Anno 1206, referente Villalba, vel anno 1208, si Crusio major fides habenda, Sol per sex horas occultabatur. Huic phaenomeno, quod celeb. Chladni ex interventu massae meteoricae solarem lucem adimente explicare voluit, imbres profusissimae, diluvia, et vasta lues, maxime in Hispania, sequuta sunt [17]). — Tremenda illa clades, quae anno 1239 agrum Bononiensem, et postea plerasque Europae urbes depopulata est, totalem excepit Solis eclipsin. — Annis 1406, 1408 et 1473 graves pariter pestilentiae cum Solis defectu concidebant [18]). — Annus 1547 in fastis medicinae et meteorologiae non minus, ac in historia memoratu dignus est. Die utpote 24. Aprilis Imperator Carolus V. victorioso proelio prope Mühlberg Schmalkaldium destruxit foedus. A die 23. usque ad 25. Sol per totam Germaniam, Galliam et Britanniam adparuit rubicundus, turbidus et ἀλαμπής, ita ut pleno meridie stellae huc illuc interluxissent. Concussus inde Imperator exclamavit: *„semper se nebulae densitate infestari, quoties sibi cum hoste pu-*

---

14) Chron. Verdun. Recueil par Bourq. Tom. VIII. pag. 289.
15) Schedelii Op. cit. Fol. 186.
16) Cosmae Pragens. Chron. Lib. III.
17) Schnurrer Op. cit. Tom. I. pag. 265.
18) Pilgram, Untersuchungen über das Wahrscheinliche der Wetterkunde durch vieljährige Beobachtungen bestätigt. Wien 1787. I. Abschnitt.

gnandum sit.« Eodem anno grassari coepit maligna febris a Levino Sandero, medico Chamberiensi, Foresto, Cardano, et Lamberto Hortensio descripta, quae e meridionali Gallia ortum ducens, Italiam et Germaniam depraedata est, atque horribiles in exercitu Imperatoris fecit strages. Kephalaea dirissima, oculorum suffusio, linguae rubedo, halitus oris graveolens, vomitus biliosus, cutis pallido-livescens, peculiari exanthemate picta, dysenteria, cholera, pervigilium, phrenitis, atque lethargus sub finem, potiora fuere gravissimi hujus morbi symptomata, quae interdum jam tertio die inevitabilem machinabantur lethum [19]).

Ballonius libro primo suorum Epidemiorum insignem casum refert [20]). Ait quippe Parisiis accidisse, quod dum plures medici apud illustrem mulierem aegrotantem consulturi simul convenissent, ac tunc temporis Solis defectus contigisset, illique ad contemplandam eclipsin in vase aqua pleno, ut solet fieri, sublimiorem aedium partem conscendissent, illico ad aegram decumbentem revocati fuerint, quae dum eclipsis perduravit, animam agere visa est, neque e gravi periculo evasit, nisi postquam Sol in apertum erupit, claraque luce refulsit.

Subjungit insuper summus ille Epidemiorum observator: »Mense Decembri (1573) dicebant Solem novum jam cursum instituere, Lunam et Solem ita affici, ut eclipsis contingeret: Incredibiles, ingentes, et vix auditae in aegris mutationes apparuerunt: Corpora sana paene languebant jamjam repente et sine causa manifesta, quasi quodam agente daemonio agere videbantur animam, et nos qui nihil tale in coelo fieri augураremur, tantae tamque subitae mutationis causam mirabamur. Nunquam credidissem tantas turbas et mutationes excitari in istis Solis et Lunae, et Coeli affectio-

---

[19]) Schnurrer Op. cit. Tom. II. pag. 92.

[20]) Guill. Ballonii Epidemiorum et Ephemeridum Libri duo. Venetiis 1734. pag. 32.

nibus. Convulsiones repente incidentes, deliria et praeter rationem novae et repentinae in morbis mutationes ea nocte satis fidem fecerunt. Unde non abs re Hippocrates magnas aëris mutationes valde observandas putavit [21]).“

Admirandum certe fuit, inquit Ramazzini [22]), quod die 21. Januarii 1693 contigit; facta enim per noctem Lunari eclipsi, major pars aegrotantium obiit, ac eadem paene hora, qua nimirum Luna laborabat; quin et nonnulli repentina morte occubuere, unde per totam sequentem diem, magno strepitu personantibus campanis, non levis horror omnes perculit.

Doctissimus Vallisneri, in familiari epistola ad Scheuchzerum [23]), singularem quoque refert effectum, quem ipse, e gravi tunc convalescens morbo, durante eclipsi Solis (mense Julii 1706) Patavii expertus est; insolitum quippe virium languorem, artuumque tremores convulsivos. Ramazzinium amicum et collegam rarioris, ut ei videbatur, phaenomeni gratia interpellavit, atque responsum habuit, quod etiam ipse insignem habitualis, cui obnoxius esse consuevit, hemicraniae exacerbationem sit passus, et quod in plurimis aegris pulsus agitatos atque inordinatos invenerit. — Narrat Joh. Matth. Faber, quod illustris vir melancholicus diem, eclipsin Lunae praecedentem, tristis et meditabundus transigebat, ipso autem momento eclipseos nudo ense non per domum modo propriam, sed vicinas etiam, et plateas discurrebat, furioso simillimus, non in homines tantum, sed et scamna, et fores, et quidquid illi occurrebat, injurius [24]). Funesta febris epidemica, quae anno 1746 — 1747 Bataviae ditiones depopulata est, in viginti militibus eadem

---

[21]) Ibid. pag. 24.

[22]) Opera omnia. pag. 109.

[23]) Ant. Vallisneri Opere fisico-mediche. Venez. 1733. Tom. III pag. 307.

[24]) Fried. Hoffmanni Dissert. de Siderum in corpora humana influxu medico. §. XIV.

die irrupit, qua Solis occultabatur lumen [25]). Clariss. Lind tempore eclipseos solaris, quae anno 1762 Bengalae adparuit, notabilem in cunctis aegris febre adfectis exacerbationem animadvertit, quae nonnisi Sole denuo relucente disparuit. Alia occasione, dum laborabat Luna, octo nautae, paulo ante febrem intermittentem feliciter perpessi, in gravissimos inciderunt paroxysmos [26]).

Hactenus de factis. — Ante vero quam ipsa adgrediar ratiocinia, ad collustrandos eclipsium super organismum humanum effectus directa, dolosos in vasto Oceano scopulos, per quantum licet, vitare cupiens, *essentialia, quae in ipsis Solis defectubus occurrunt, discrimina* inprimis indicanda veniunt:

> Solis item quoque defectus, Lunaeque latebras
> Pluribus e causis fieri tibi posse putandum est [27]).

Missa communi Solis obscuratione per nebulas et nubes, *tres* facile distingui possunt *eclipsium species,* quae sereno tantum patent coelo; videlicet *interlunaris, meteorica,* et *heliospilotes.* Transitus Mercurii aut Veneris per Solis discum perceptibilem lucis defectum non producit, ideoque nullam mentionem meretur.

Eclipsis interlunaris nascitur, dum interjecta Luna Phoebi radios repellit, orbemque tenebris involvit diurnis. Concursus itaque Solis, Lunae, atque Telluris in eadem linea recta eclipseos conditionem sistit absolute necessariam. Quum ejusmodi Solis occultatio a periodico et invariabili praedictorum Siderum in suis orbitis circuitu dependeat, ejus ingressus, duratio et finis mathematicis calculis exactissime determinari ac praefiniri potest. Duratio equidem varia esse solet, nunquam tamen ultra $6\frac{1}{2}$ horas in dato globi terraquei loco perdurat, neque majorem occupare valet extensionem, quam, quae aream umbrae conoideae, per opacam Lunam efforma-

---

[25]) Graingeri Hist. febris anomalae. Bataviae Altenb. 1770.

[26]) James Lind Essay on diseases incidental to Europeans in hot climates etc. Lond. 1768.

[27]) Lucretii de rerum natura. Lib. V. Vers. 750.

tae, ac Telluris interventu dissectae aequat, videlicet triginta □ milliarium geographicorum. Obscuratio Solis constanter ab occidente versus orientem per determinatas plagas procedit. Prouti interposita Luna modo totius Solis lumen adimit, modo partem tantum luciferi disci occulit, eclipsis *totalis*, vel *partialis* vocatur, unde varius, quod sponte liquet, caliginis oritur gradus. — Licet id genus phaenomenon coeleste jam antiquissimis notum fuerit populis, Babylonensibus, Aegyptiis, et Graecis, quos ultimos inter enituit Thales Milesius, Philosophorum princeps, qui exacte jam praedixit defectum Solis anno 585 ante Chr. N., Alyatte rege, factum [28]); atque Hipparchus Bithynus (160 a. Chr.), sideris utriusque cursum in sexcentos annos praedicens [29]); singulae tamen atque minutae circumstantiae, futuras eclipses comitaturae, nonnisi serioribus determinari potuerant seculis, quibus Astronomia adeo eximium perfectionis gradum est adepta. Dolendum ex adverso, medicos universim, utut eorum multi vario aevo astrorum super hominem influxui haud exiguum dederint valorem, quin saepe incredibilia et ridicula adscripserint, adtentas eclipsium epidemiarumque contemporaneas observationes plurimum neglexisse.

Meteoricam Solis occultationem compellamus eam, quam mox vapores in sublimioribus atmosphaerae telluricae regionibus efformati, mox etiam, opinante Keplero [30]), massae cometicae orbitam solaris systematis ingredientes efficiunt. Discrepat ab eclipsi interlunari: 1) Quod Luna nullam obscurationis culpam gerat. 2) Quod varia, insolita, ac saepenumero mirabilia phaenomena meteorica simul compareant, chemicarum et maxime electricarum revolutionum effectus; uti faces et globi igniti, stellarum trajectiones, aërolithi, defluvium arenae, aurora borealis, et similia. 3) Quod pari

28) Herodot. Lib. I. Clio. N. 74.

29) Plinii Hist. nat. Lib. II. Cap. XII.

30) Atronomiae pars optica. Francof. 1604. pag. 159.

tempore insignia in atmosphaerae stratis inferioribus, vel in ipsis telluris penetralibus phaenomena, imbres, fulgura, inundationes, terraemotus, contingere soleant. 4) Quod Solis vultus velatus non solum, sed etiam alieno saepe colore, fusco, caeruleo, vel sanguineo foedatus, corona cinctus, quandoque plane, singulari sane radiorum lucis dioptrico lusu, duplex aut trigeminus adpareat, quod postremum phaenomenon *parelia* (Nebensonnen) adpellant. 5) Quod indeterminatis occurrat temporibus. 6) Quod occultationis mora, extensio, atque directio nullis subjecta fit legibus; mox enim momentaneam sistit adparitionem, mox per plures dies, imo hebdomadas perdurare visa est, ad majores minoresve plagas extensa. — Hujusmodi eclipses jam antiquissimis notatae inveniuntur temporibus, aevo Romuli, sub consulatu Servilii, regnante Imperatore Tito, Commodo, atque Theodosio. Summe prodigiosa vero Solis eclipsis illa fuit, quae post Julii Caesaris impiam caedem contigit, pulcherrimis expressa Virgilii versibus [31]):

. . . . . Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella.
Ille etiam extincto miseratus Caesare Romam,
Quum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.

De causis hujus prodigii a multis disputabatur. Nonnulli maculas Solis insuetas insimulabant; aliis probabilior videbatur opinio, obscuratum fuisse coelum nebula ferruginea modo, modo rubente. Re quidem vera Suetonius circa Solem longo tempore visam veluti materiem quandam crassam et fuliginosam tradit. Plinius [32]), Plutarchus [33]), et Dio Cassius [34]) contemporanea adducunt fulgura et

---

[31]) Georgicon. Lib. I. Vers. 463.
[32]) Histor. naturalis. Lib. II. Cap. 30.
[33]) In vita Julii Caesaris, sub finem.
[34]) Historia Romana. Lib. LVI.

tonitrua, variaque meteora ignita. Confirmat demum sententiam de eclipsi meteorica, stella crinita, quae occiso Dictatore per septem dies continuos fulsit [35]; cometas enim haud raro insignes in atmosphaera revolutiones concitare, trita est observatio. Constat autem eodem anno verum quoque Solis defectum fuisse [36].

Tertia tandem eclipseos solaris species, quam *heliospiloten* adpello (ab ἥλιος Sol, et σπίλος macula), a languore luminis in ipso Sidere lucifero contingente dependet. — Solis hemisphaerium nobis obversum superficiem offert maculosam, ex umbris et faculis conflatam. Nonnullae earum macularum, mole decrescendo, adtenuantur in umbram subtilissimam, vel in plures minoris diametri dilabuntur, ac pedetentim fatiscunt; aliae vorticum instar aperiuntur, ita ut ignitum Astrum medias inter flammas atram fuliginem evomere videatur. Quandoque Sol per annos ab illis maculis liber observatur; alias copiosissimae prosiliunt, et quidem potissimum circa ejus aequatorem. Licet maculosa Solis facies jam antiquitus nota fuerit; de natura macularum tamen nonnisi obscurae prorsus ac hypotheticae habebantur notiones. Nec aliter esse potuit, deficiente telescopiorum adminiculo. Celeberrimus astronomus Herschel primus fuit, qui luciparentis Sideris naturam exactius investigavit. Secundum ejus et plerorumque moderni aevi astronomorum sententiam maculae Solis nil aliud sunt, nisi lacunae in photosphaera Solem ambiente, per quas opacus ejus nucleus interlucet.

Quoties igitur novi, majores, vel numerosi aperiuntur vortices caliginosi, veram lucis solaris hebetudinem generant, cujus gratia intensitas splendoris detrimentum patitur, atque tellus non solum, verum etiam omnes planetae minorem recipiunt illuminationis gradum. — Omnes eclipses in

---

[35] Suetonius de vita Julii Caesaris. Cap. 88.

[36] Sammlung astronomischer Tafeln. Berlin. Zweyter Theil. Seite 122.

Historiae fastis notatae, extra interlunii periodos, sine manifesta meteororum adparitione, inque toto orbe visae ac longiori perdurantes tempore, de obortis in Sole maculis insignioribus movent suspicionem. Imo tempestatum vices, atque inclementia vel rigor certis annis fere universalis, juxta Herschelii et Gruithuisenii sententiam, grandioribus vel minoribus maculis et facibus in Sole raptim subortis tribuuntur. — Hujus generis fuisse videtur eclipsis Solis extraordinaria plane, atque miraculosa, die Domini Nostri Jesu Christi in cruce patientis et morientis facta, de qua Dionysius Areopagita dixisse fertur, vel naturae Deum pati, vel mundi machinam in proximum dissolutum iri. „*A sexta autem hora tenebrae obortae fuerunt super universam* „*terram usque ad horam nonam*[37]).“ Erat vero sexta hora Hebraeorum nostra duodecima. Passionalis ista eclipsis, recte monente doctissimo Scheuchzero[38]), interlunaris esse nequivit, quoniam tempore Paschatis facta est, per consequens in Plenilunio, quo Solem inter et terram nihil fuit, quod radiis solaribus impedimento esse poterat. Neque simpliciter meteoricam eclipsin admittere fas est, quum testantibus scriptoribus sacris aeque ac profanis gentilibus Sol cum terra, qua late patet, totum coelum, omnesque planetae tum primarii, tum secundarii densissimis tenebris involuti fuissent. Sol, ut cum Sedulio loquar:

> Abscondens radios tetro velatus amictu
> Delituit, tristemque infecit luctibus orbem.

Consimile lucis deliquium passus est Sol intra proprii sinus orbitam, anno nono Imperatoris Justiniani, teste Abulpharagio[39]), durans ultra annum, nonnisi exigua luce superstite. Tunc locustas, scribit, totam fere tellurem vastasse, et inclementiam hyemis cum ingenti hominum strage saeviisse; anno etiam altero Solis calorem adeo remisisse,

---

[37]) Matth. Cap. XXVII. Vers. 45.

[38]) Physica sacra. Tom. IV. pag. 1405.

[39]) Histor. Dynast. Ed. Pocock. pag. 94.

ut fruges nullae maturuerint. — Ita quoque anno 1625, paulo ante bellum Suecicum, totius anni decursu discus Solis ingenti macularum ebullitione coopertus adparuit.

E praemissa eclipsium solarium differentia jam nemo non intelliget, effectus neque semper constantes, neque identicos esse posse. Inde liquet, quod in atmosphaera non minus variantia accidere debeant phaenomena, quam in hominum organismis. Sunt tamen quaedam proprietates cunctis et singulis eclipseos solaris speciebus communes, quarum gratia non solummodo unum idemque coelestium phaenomenorum genus praebent, sed etiam consimiles in sublunaribus effectus determinant. Inter hosce postremos *lucis defectus*, atque *viventium animos consternens vis* praecipuam merentur mentionem.

Sol, princeps mundi sidus, luminis, caloris, vitae, totiusque mundanae existentiae scaturigo, adeo insigni super oeconomiam corporis humani pollet potestate, ut cum Aristotele dici possit: *Sol et homo generant hominem.* Animantem vero Solis virtutem nequaquam soli calori esse tribuendam, sed luciferum fomitem in conservanda vigoris et valetudinis integritate maximi una esse momenti, quotidiana confirmatur observatione [40]). „*Sans la lumière,* — inquit magnus Lavoisier [41]), — *la nature était sans vie; elle était morte, inanimée.*“ — Ipsum nomen Phoebi quid aliud significat, quam *facem vitae, φῶς τοῦ βίου*? — Quantum discrimen inter plantas, quae aprico foventur Sole, ac inter eas, quae in umbrosis et praeclusis squalent locis! Communissima est observatio, elanguescere sub nocte flores, vel claudi, foliaque sese contrahere, complicari, et in dormientium veluti formam disponi. Quanta diversitas inter animalia vegeta, robusta, audacia, quae liberi Solis beneficum experiuntur influxum, eaque

---

40) Horn, über die Wirkungen des Lichtes auf den lebenden menschlichen Körper. Königsberg. 1799.

41) Traité élément. de Chymie. Tom. I. pag. 262.

subterraneis recondita cavernis, languida plerumque, debilia, et meticulosa! Qualis discrepantia in cunctis entibus, prouti vel diurnam hauriunt lucem, vel vero Cimmeriis sepeliuntur noctis tenebris [42]. — Qui vultu sereno et comi terrigenis arridet, Phoebus, elanguidis corporibus novum veluti vigorem instillat, recreat sanos, refocillat infirmos, exhilarat mentem, ac coelesti quadam voluptate animos mortalium perfundit, eorumque nubila serenat. Occaso contra Sole omnia corpora torpescunt, universa natura hebetatur, inque profundum conjicitur veternum, quem matutini Solis jubar magico velut ictu dispellit. — Quanta taedia invadant morbis et curis extenuatos mortales cum nocte, dum deest illae vitae amicus, lucis stimulus, neque medicos latet, neque profanum vulgus. „*On peut donc établir, que toutes les maladies* „*d'atonie, de paralysie, de débilité, ce qu'on reconnoît facilement* „*par l'augmentation qu'elles éprouvent pendant la nuit, reçoivent* „*beaucoup de soulagement, et même leur guérison, par l'influence* „*du soleil et de la lumière* [43]." — Qua de re haud inepte Ramazzini ex illo luminis et caloris fonte inexhausto spiritus viresque hauriri credidit, febrium quarumdam genio edoctus, cum quibus aegri per totam noctem fere cum morte colluctantes, mane ad ortum Solis sub porticibus quasi redivivi deambularunt.

Si igitur lux diurna adeo necessarium pro hominis vita et valetudine praebet stimulum, quaelibet ejus detractio, vel imminutio notabilis, praesertim repentina et extraordinaria, simili prorsus ratione organismi vires adficere debebit, qua incitamenti qualiscunque privatio operari consuevit. — „Da „Licht und Wärme die ersten und allgemeinsten Bedingungen alles orga„nischen Lebens sind, und da gänzlicher Mangel beyder unmittelbaren

---

[42]) Athan. Kircheri magna ars lucis et umbrae. Lib. I. Pars I. Cap. XV. De mira solaris et lunaris luminis in plantas et animalia efficia.

[43]) Dictionnaire de Sciences médicales. Art. Soleil.

„Tod alles Lebendigen nach sich ziehen müßte: so hat ein verminderter „Einfluß des Lichtes und der Wärme im Allgemeinen auch nur vermin„derte Lebensthätigkeit zur Folge [44]).“ Ea vero proportione, qua efficientiae vitalis energia infringitur, elanguescente coelestis luminis stimulo, sensibilitas et unacum illa receptivitas in stimulos, etiam leviores atque communes, augeri solet. Reactiones tali pacto sequuntur equidem promptiores, et ad sensum vividiores, intensitatis tamen minoris; videntur quasi celeritate motuum id resarcire, quod eis vigore deficit. — *En praecipui et primi effectus eclipseos*, quos, deficientis lucis solaris causa, in hominum organismis oriri debere, suadent generales vitae et sanitatis leges; *virium* utpote *languor*, atque *sensibilitatis organicae augmentum*, ille videlicet status corporis, quem pathologi *astheniam directam*, *erethisticam*, seu *versatilem* adpellant. Inde morborum asthenicorum ortus facilior; eorum vero, qui characterem induunt inflammatorium, impetus mitior. Quod si tandem consideremus summam analogiam, quae noctem inter et Solis eclipsin viget, etiam in effectubus certa quaedam ὁμοιομερία jam a priori admitti debet, quam revera ipsa experientia confirmat.

Decursus morborum, maxime febrilium, vesperi constanter invalescentium, atque consimile phaenomenon sub imminente eclipsi observatum, hucusque dictis non parum novi roboris addunt. Praeter observationes Ramazzinii et Lindii, jam supra adlatas, notatu quoque digna est illa Steuerlini [45]), qui in magna Solis obscuratione anni 1706 cunctis febre catarrhali laborantibus deliria suboriri, viresque citissime consumi vidit. — Testatur Baco Verulamius, indefessus rerum naturalium investigator, plurimos aegros post Solis defectum notabiliter aggravatos fuisse. — Quod autem adtinet ad debilitantem eclipsium effectum, e genera-

---

[44]) Kieser, System der Medicin. Zweyter Band. Halle. 1819. §. 229.

[45]) Observ. de eclipsi Solis morbos causante. — In Ephemerid. nat. Curios. Cent. I. et II. pag. 156.

libus pathogeniae legibus erutum, complures eum pariter comprobare juvant experientiae. — Qui in fastis medicinae notantur morbi pestilentiales circa eclipses Solis oborti, semper fuere febres malignae, seu febres acutae cum nisu praecoci et ominoso in characterem nevrasthenicum. Casus a Vallisnerio et Ballonio recensiti, aliique plures idem testificantur. Certus Santuliana, referente Vallisnerio [46]), tempore eclipseos obnubilationem visus, atque singularem spirituum confusionem est passus. Luc. Schroeck negat quidem post magnam Solis eclipsin se multum morborum observasse; non negat tamen frequentem tunc lymphae colluviem et stasin in odontalgicis et catarrhosis [47]). Magis demum periclitari homines, quorum imbecillior est valetudo, nec ratione vacat, nec observationum fide destituitur. Baco Verulamius, Vir ille summus, adversa sorte, ac multifariis oppressus aerumnis, animi deliquium, ut in ejus vita narrat Rawley, pati constanter solebat, quotiescunque Sol laboraret. Jure meritoque igitur Ballonius [48]) in corporibus morbo exhaustis ad magnas siderum mutationes adtendi debere ex praeceptis Hippocraticis commonuit, simulque subjunxit incredibiles morborum conversiones tunc adparere, convulsiones, deliria, et alia, idque subito et citra rationem, quin etiam sanos interdum elanguescere et velut agente daemone infestari.

Eclipseos gradus, extensio, duratio, aliarumque circumstantiarum, simili vel dissimili potestate physica pollentium, concursus, permutabunt quoque effectus ipsos, plus minusve conspicuos, ocyus seriusve ingredientes, diversisque sub formis adparituros. Quamobrem nonnisi eclipses totales insuetorum phaenomenorum observationi congruam praebent copiam. — Quandoque defectus lucis, occultati Solis ergo obortus, vix

---

[46]) Oper. cit.

[47]) De Constit. August. 1699 et 1700. D. III. Ephemer. natur. curios. 4. 7. 8.

[48]) Lib. I. Epid. Constitut. IV. p. m. 48. ib. pag. 37.

sensibilior est illo, quem nubilum, et procellosum coelum producit; alias contra talem adtingit gradum, ut densissimis tenebris involutus compareat orbis. — Durante eclipsi super adlata, quae tempore Justiniani Imperatoris accidit, Sol tamquam velamento obseptus adeo parum lucebat, et ita obscure, ut in Lunam conversus esse videretur. In Synodo Constantiensi anno 1415 tanta Solis eclipsis conspecta est, ut interdiu stellae lucerent, perinde ac noctu. Narrat quoque Clavius, testis illius eclipseos, quae 21. Augusti 1560 Coimbrae observabatur, talem fuisse obscuritatem, ut nemo ambulantium viderit, quonam mittere pedem, atque volucres turmatim ceciderint, atrae caliginis pavore perculsae [49]. — Si tamen perpendimus, defectum lucis insolito accidere tempore, plena utpote die, atque coelo persaepe undiquaque sereno, talique pacto consuetudinarium rerum ordinem interrumpi, quod raro sine detrimento fieri solet; quadantenus concipi poterit insignior etiam, causae caeterum levioris, efficacia. — „*Ciò solo dedurre possiamo,* inquit Vallisnerius [50]), „*che la privazione della luce in tempo d'ecclisse faccia diversa im-*„*pressione nella bassa terra da quella, che fa nel tempo di notte, e* „*che vi sieno certi moti allora nell'aria non ancora ben capiti, nè* „*sufficientemente spiegati.*" — Lichtenberg plura individua, se ipso non excepto, dum Solis defectum die 5. Septembris 1793 observassent, eo momento, quo caligo summum adtigit culmen, male habuisse testatur [51]).

Praeter memoratos effectus physicos, quos hebetatrix Solis laborantis umbra in humano σώματι concitat, notari adhuc merentur et alii quos humana ψυχὴ experitur. Priores vitam organicam, sive automatica organismi viventis munera respiciunt, quae immediate ac primitus patiuntur, mente

---

49) Encyclopédie méthodique; in 4. Partie physique, Tom. III. Art. Eclipse.

50) Loc. cit.

51) Physikalisch-mathematische Schriften. 2. B. S. 228.

inscia. Posteriores contra in altioribus vitae humanae sphaeris emicant, quarum tamen intercessione ipsas fundamentales oeconomiae animalis vires concutiunt, atque pessumdant. De his protinus dicendum.

Quo magis obscura, vel plane inexplicabilia sunt phaenomena naturae, eo facilius, praecipue in profanis et meticulosis, animi stuporem et consternationem producunt, simulque ideam funesti prodigii involvunt, cui lubenter superstitiosa figmenta sese immiscent. Ita omni tempore homines, tristi deformique adspectu Siderum laborantium perterriti expaverunt, occulto quodam et invito sensu praesagientes damna sequutura, mortes, bella, dedecora, annonae charitatem, calamitates publicas, famem, pestem, ipsumque ultimum supplicium. Quae naturali astrorum motu eveniunt, tamquam Deorum ira immissa credebantur, trepidumque mortale genus adspiciebat ea veluti impendentium malorum signa, quae, etsi nullis comitata calamitatibus, praesenti duntaxat metu nocebant. Ejusmodi ignoratione vulgi defectus Solis et Lunae olim formidinem plerumque incussisse, ac inter omina tristia habitas fuisse, variis exemplis illustravit Freinshemius [52]) et Benedictus Averanius [53]). Inter Graecos tanta viguit superstitio, ut proximos a Solis et Lunae laboribus dies tres pro atris et infaustis putarent [54]). Imo hodieque, ut cum Seneca [55]) loquar, „*multae sunt gentes, quae* „*tantum facie noverunt coelum, quae nondum sciunt, cur Luna* „*deficiat, quare obumbretur.*“

Pindarus et Stesichorus, praestantissimi poëtae, suum deficiente Sole terrorem, teste Plinio [56]), atque Plu-

---

[52]) In notis ad Curtium Rufum; Lib. IV. Cap. X.

[53]) Opera latina. Florent. 1717. Tom. I. Diss. 10 et 11. in Thucydidem.

[54]) Autoclides in Ἐξηγητικοῖς, seu Commentariis, quibus prodigia explicuit apud Plutarchum.

[55]) Natural. Quaestion. VII. 25.

[56]) Histor. natural. Lib. II. Cap. 12.

tarcho[57]), elegantibus versibus expresserunt[58]); atque Thucydides, rerum graecarum gravissimus conditor, Solis deliquia inter horribilia et maxime perniciosa posuit. — Cleonymus Rex Lacedaemoniorum, quum post devictos ad Salamina Persas isthmum munire esset adgressus, deterritus deſectu Solis ab incepto dicitur destitisse. — Pelopidam, narrat Plutarchus[59]), quum adversus Alexandrum Pheraeum, immanissimum tyrannum, educturus esset exercitum, adeo vehementer ſuisse perturbatum Solis deſectu, ut milites con-

---

57) „Στησίχορον καὶ Πίνδαρον εν ταῖς ἐκλείψεσιν ὀλοφυρομένους τὸν φανερώτα-„τον κλεπτόμενον.“ In libro de Facie in orbe Lunae. pag. 931.

58) Πινδαρου Αποσπασματια: Etiam in Opusculo de Demosthenis gravitate in dicendo apud Dionysium Halicarnassćum. pag. 167.

'Ακτὶς ἀελίου, τί, πολύσκοπε,
ἁμετέρων μετρον ὀμμάτων,
ἄστρον ὑπέρτατον εν ἁμέρα
κλεπτόμενον, ἔθηκας ἀμάχανον ἰσχὺν
πτανὸν ἀνδράσι καὶ σοφίας ὁδον;
\- - - - - - - - - -
ω πότνια, πάγκοινον τέρας,
πολέμου δὴ σᾶμα φέρεις τινός,
ἢ καρποῦ φθίσιν, ἢ νιφετου σθένος ὑπέρφατον,
ἢ στάσιν οὐλομέναν,
ἢ ποντου κενέωσιν ἀνὰ πέδον,
ἢ παγετὸν χθονός, ἢ νότιον θέρος
ὕδατι ζακότῳ διερόν,
ἢ γαῖαν κατακλύσαισα θὴσεις
ἀνδρῶν νεον ἐξ ἀρχῆς ὀλοφυδνὸν γένος.

Lubet elegantem subnectere Thierschii versionem germanicam:

Strahl der Sonne, du allbeſchauender,
Lenker der menſchlichen Blicke, warum
Haſt, o erhabenſtes Geſtirn, am Tag
Plötzlich du dich entrückend in Schrecken der Männer
Rege Kraft und der Wiſſenden Kunſt gehemmt?
O Hehrer! gemeinſam Wunder, bringſt
Du heran Wahrzeichen der Kriegesnoth,
Oder Tödtung der Frucht, des Geſtöbers unermeßne Laſt,
Oder Vereiſung der Fluren, und Sommer im Guß
Der erzürnten Gewäſſer ertränkt,
Oder willſt du, in Stromfluth das Erdreich
Einhüllend, der Männer elend Geſchlecht ganz erneun?

Thierſch' Pindarus Werke 2. Thl. Leipz. 1820 S. 247.

59) In Pelopidae vita.

scribere supersederit. — Nicias, peritissimus ille, at infelix Atheniensium contra Siculos dux, viso deliquio Lunae, et eo quasi ostento deterritus, tamdiu cunctatus est, ut ab hostibus oppressus ingentem exercitum occidione deletum amiserit[60]). — Milites Alexandri Magni, contra Darium pugnantes, ob Lunae defectum turbatos fuisse, apud Curtium Rufum[61]) legimus: „*Sed prima fere vigilia Luna deficiens, primum nitorem* „*sideris sui condidit; deinde sanguinis colore suffuso lumen omne* „*foedavit: sollicitisque sub ipsum tanti discriminis casum ingens re*-„*ligio et ex ea formido quaedam incussa est.*" Illustrant has Lunae tenebras Cicero[62]), Manilius[63]), Arrianus[64]) et Plutarchus[65]). — Solis eclipsi perculsum quoque fuisse Hannibalem, ante ultimum cum Scipione proelium, tradit Zonaras. — Dum Sulpicius Gallus, tribunus militum et solers orbium coelestium contemplator, teste Livio[66]), Lunam (Anno 168 ante Chr. N.) defecturam esse praedixit, talique pacto militum Romanorum trepidantes animos exhilaravit; idem phaenomenon mentes Macedonum, duce Perseo, ceu triste praesagium, occasum regni perniciemque gentis portendens, turbavit adeo, ut clamore et ululatu repleverint castra, donec Luna in suam lucem emersit. — Seditiosos tumultus inter legiones Pannonicas contra Drusum, Augusti privignum, coortos, conspectus eclipseos lunaris in prodigium tractae illico reprimere juvit, ita ut consternati milites, vi omissa, legatos ad Tiberium miserint[67]).

In tanta autem ignoratione Astronomiae versabantur prisci Romani, ut deficiente Sole sempiternas tenebras, rerumque omnium exitium pertimescerent; in deliquio autem

---

60) Plutarchus in vita Niciae. — Diodor. Sicul. Lib. XIII. 337.
61) Historia Alexandri Magni. Lib. IV. Cap. X.
62) De divinatione. I. 53.
63) Astronom. I. 220.
64) De Expedit. Lib. III. 2.
65) Plutarch. Cap. 56.
66) Historiarum Lib. XLIV. Cap. 37.
67) Dionys. Cassii Historia romana. Lib. LVII. §. 4.

Lunae etiam veneficia et magicas artes horrerent. Hinc factum, quod, quoties Luna in umbram terrae incurreret, aeris et pelvium sonitu, nec non cornuum atque tubarum clangore succurrere laboranti Sideri conarentur. Istiusmodi antiquum morem lepide adtigit Juvenalis [68]), ubi feminarum explodit dicacitatem:

> Tot pariter pelves, tot tintinabula dicas
> Pulsari; jam nemo tubas, aera fatiget;
> Una laboranti poterit succurrere Lunae.

Et Corn. Tacitus [69]), qui de Germanici militibus Lunae defectione perturbatis ita scribit: „*Igitur aeris sono, tubarum* „*cornuumque concentu strepere, prout splendidior, obscuriorve lae*-„*tari, aut moerere.*“ De quibus pariter Tibullus [70]), Manilius [71]), Plinius [72]) et Lucianus [73]). — Nonnulli orientales populi hodieque pro laborante Luna crotala, cymbala, tympanaque pulsant, antiquorum Aegyptiorum exemplum imitantes; atque Mexicani jejunio strenue observato iram Numinum placatum iri sibi fingunt.

Non defuerunt tamen antiquiori jam aevo viri oculati, atque exercituum duces ab omni superstitione immunes, qui persuasione phaenomeni naturalis et necessarii non solum paventes militum animos excitare, sed etiam divinatione imminentis cujusdam eclipseos sinistrum omen eludere, vel plane in hostium capita detorquere norunt. — Tali modo Palamedes, qui, cum Graeci Trojam obsiderunt, Solis defectum praedixit, ejusque causam demonstravit, maxima formidine Graecos dicitur liberasse. — Quum Pericles ad bellum cum classe proficisceretur, et interpositu Lunae Solis lumen adimeretur, ingentem ea res terrorem incussisset Atheniensibus, nisi Pericles ipse ostendisset prodigii loco non magis

---

[68]) Satyr. VI. v. 442.
[69]) Annal. Lib. I. Num. 28.
[70]) Lib. I. Elegia 8.
[71]) Astronom. Lib. I. Cap. 2.
[72]) Histor. natur. Lib. II. Cap. 12.
[73]) In Philopseude.

habendam esse eam Solis obscuritatem, quam si nubes, vel aliud quidpiam officiat visui, Siderisque conspectum adimat [74]. — „*Cum obscurato repente Sole*, ita rem narrat Valerius Maximus, *inusitatis perfusae tenebris Athenae solicitudine agerentur, interitum sibi coelesti denunciatione portendi credentes; Pericles processit in medium, et quae a praeceptore suo Anaxagora pertinentia ad solis et lunae cursum acceperat, disseruit: nec ulterius trepidare cives suos vano metu passus est* [75]." Consimili stratagemate (anno 310 ante Chr. N.) Agathocles Syracusanus, adversus Poenos pugnaturus, metum militum, quos terrebat portenti religio, quod navigantibus eis Sol defecerat, astute elusit, et in contrarium vertit [76]. — Ita quoque Christophorus Columbus, narrante Joanne Rajano, universum Hispanorum exercitum ab imminenti interitu eripuit, Jamaicae barbaris accolis, seditionem machinantibus, Lunae deliquium praedicendo; isti enim rei terrore, atque augurantis Ducis admiratione perculsi commeatum Hispanis affatim subministrarunt.

Quum priscum vulgus ex Sideris unius alteriusve luctu putaret iratos et indignatos esse Deos, ferme semper inter eclipses fataque tristia vel mirabilia, in idem fortuito incidentia tempus, aliquam necessitudinem supponere voluit. Ob eandem rationem in fastis Historiae antiquae eas tantum notatas invenimus eclipses, quas memorabilis quidam casus comitatus est, vel sequutus. — Romani pro ostento habuerunt, quod in Romuli morte Sol occultaretur [77]. — Ita Luna defecisse dicitur ea die Olympiadis 162, qua obiit Carneades, Academicus ille in Stoicorum sententiis confutandis famigeratus, tantique studii vir, ut nec ungues amputaret, nec barbam aut comam tonderet, ne tempus inaniter tereret [78]. —

[74]) Plutarchus in vita Periclis.

[75]) Valerii Maximi Dicta et facta memorabilia. Lib. 8. C. 11. N. 1. extern.

[76]) Justini Historiar. Philippicar. Lib. XXII. Cap. 6.

[77]) Dionys. Halicarn. Antiquit. Roman. Lib. I.

[78]) Diogenes Laërtius de vitis Philosophor.

Universalem luctum, quem Solis eclipsis, occiso Julio Caesare coorta, induxit, elegans exprimit Ovidii [79]) locus:

Caerulus et vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat; sparsi lunares sanguine currus.
Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo:
Mille locis lacrymabat ebur.

Eo pariter die, qui exercitibus Romanis prope Pharsalum in vicem dimicantibus tantam calamitatem intulit, Sol quasi horruit videre instantem cladem

Defectusque pati voluit, raptaeque labores
Lucis;

uti apud Lucanum [80]) legitur, summum poëtam, mihique semper carissimum. — In mediis sacrificiis, Agrippinae gratia celebratis, quam proprius filius, detestabilis Nero, interfici jussit, Sol omnino occultabatur, adeo ut stellae adparerent, narrante Dione Cassio [81]). — Imperator Ludovicus Pius totalem eclipsin, quae anno 840 post Chr. N. accidit, veluti omen vicinae mortis habuit, ac revera eodem adhuc obiit anno. — Quae omnia, licet a superstitionum fide et Astrologiae judiciariae cultu longe alienus sim, eum unice in finem adducere volui, ut e factis historicis, vero veritatis lapide Lydio, constet impressio, quam constanter exercere solebant super animos idiotarum, hominumque timidorum et praejudiciis obcaecatorum.

Hodierno quidem aevo, inter populos duntaxat cultiores, certe nemo amplius trepidabit, ut olim Rex Archelaus, qui eo die, quo Sol defecit, regiam clausit, et filium, ut moris in magno luctu erat, totondit [82]). Nihilo tamen secius certa quaedam animi commotio, etiam in fortissimo caeterum pectore supprimi vix potest, si medio die repentina nascatur lucis solaris defectio, atrasque inter tenebras lugeat orbis, vel plane alius generis terrifica omina meteoricam co-

---

79) Metamorph. Lib. XV. v. 783.
80) De bello civili. Lib. VII. v. 4.
81) Histor. roman. Lib. LXI.
82) Seneca de benef. Lib. V. Cap. 6.

mitentur eclipsin. Sufficiat e nostro aevo illuminato adduxisse exemplum eclipseos Solis annularis, quae anno 1764 in Gallia visa est, adeoque universalem incussit pavorem, ut preces publicae ordinari debuerint [83]).

Ecquis autem homines causarum physicarum, motuumque coelestium ignaros percelli mirabitur, si *defectum Siderum paveant et quadrupedes* [84]), aliaque animantia terroris sensum variis exprimant modis?

> Nocte repentina oppressae, volucres feraeque
> Attonitae fugere; stupor quatit inscia veri
> Corda, quod aeternis credant damnata tenebris
> Saecula. —

Memorabile pro re nata argumentum refert doctiss. Vallisneri [85]), „*Era in campagna, quando seguì quella formidabile* „*eclisse* (1706). *Cantavano al suo solito gli uccelli, le rane, i grilli,* „*ed altri animali, che colle loro strida in ogni ora, ed in ogni* „*tempo assordano l'aria, quando sopravenendo all' improviso le* „*tenebre, tutti attoniti e come stupenti ammutolirono, di maniera* „*che per tutto era un' alto ed orrido silenzio, che durò non senza* „*un certo incognito ribrezzo, sino a tanto chè durò il Sole a pri-* „*vare il mondo de' raggi suoi, i quali ritornando a farsi vedere, e* „*dirò così a vivificarlo, ritornarono tutti di nuovo a cantare, e con* „*allegrezza a farsi sentire.*“ — Haesitantibus tandem atque incredulis opponimus adhuc gravissimam auctoritatem celeberrimi Vireyi [86]), summi naturae interpretis, ubi ad eclipsin diei 7. Septembris 1820 alludit: „*Les éclipses du soleil, les tota-* „*les surtout, produisent de singulières impressions sur toutes les* „*créatures qui se sentent tout à coup privées du grand stimulant de* „*la vie, ou de la lumière. Alors les oiseaux, les quadrupèdes éton-* „*nés, se taisent et s'attristent.*“

---

83) Encyclopédie méthodique in 4. Partie physique. Tom. III. Art. Eclipse.

84) Plinii Histor. natural. Lib. VIII. 54.

85) Oper. citat. pag. 307.

86) Dictionnaire de Sciences médicales. Tom. LI. Art. Soleil. p. 534.

Si mente pervolvimus effectus, quos passim terror, metus, formido, pavor, consternatio, stupor, aliaque hujus generis pathemata in corpore humano edere solent, in eo maxime consistere, quod robur vitae, viriumque animalium energiam imminuant, atque sufflaminent; sponte liquet, eos cum deprimente actione Solis languentis aut deficientis adprime collimare. Et quamvis concedi debeat, multos atque multos homines, impavidos et ab omni anili superstitione immunes, plane *ἀδιάφορους* manere, dum Siderum lumina occultantur; nemo tamen inficias ibit, longe majorem esse numerum profanorum, idiotarum, et meticulosorum, quorum animus certam quandam commotionem atque angorem non pati vix poterit.

Transeamus modo ad speciales mutationes, quas planeta noster juxta diversam eclipseos indolem experitur et offert. Lubenter hic praeteribo *eclipsin meteoricam*, quae nullis adstricta circuitibus periodicis, atque simplex tantum effectus meteoricarum in atmosphaera evolutionum, intercurrentes unice epidemias generare posset, ex alteratis qualitatibus physicis aëris repetendas. Lubentius adhuc supersedebo *eclipsi heliospiloti*, quum nullis hactenus observationibus innotuerit, utrum et quales effectus nascantur ex maculis solaribus, quarum adparitio caeteroquin nullis adstricta est periodis. Solam itaque *eclipsin Solis interlunarem* adtingam, velut eam, quae cum ingressu constitutionis stationariae aliquam relationem interdum habere mihi videtur; praevio tamen monito, quod per eminentiam *totalis occultatio Sideris*, quae sola manifestioribus stipari solet phaenomenis, praesentis sciscitationis objectum sistat.

Quum Tellus ellipsi excentrica circa Solem rotetur, duo necessario adtingere debet in suo itinere distantiarum extrema, quorum minimum *perihelii*, maximum *aphelii* nomine indicatur. Consimili ratione Lunam circa terraqueum globum gyrare constat. Inde variae inter dominantem planetam ejusque satellitem intercapedines, quarum extrema in *perigaeo* et

apogaeo. Sub duplici hocce motu cyclico semet decussante Luna rato tempore ingreditur orbitam telluris, atque in *conjunctione* esse dicitur, ubi istam Solemque intercedit, cui correspondet *Novilunium.* Egressus vero satelles extra planetae territorium, eumque adtingens positum, ut terra medium inter Solem et Lunam occupet locum, *oppositionis* praesentat periodum, quacum congruit *Plenilunium.* Quod si talis contingat *conjunctio*, vel *oppositio*, ut praedicta Sidera non solum in eadem directione, *Syzygio*, sed etiam in eadem linea, nimirum circa suarum *Apsidum commissuras* concurrant, parique tempore aphelium cum perigaeo, vel perihelium cum apogaeo incidant; tunc in priori casu *Solis*, in altero *Lunae completa eclipsis* habebitur.

Quotiescunque autem corporum coelestium ad se invicem distantiae variant, *reciprocae adtractionis*, sive *gravitationis intensitas* necessario *augeri*, vel *minui debet*, et quidem, docente Physica, semper *ratione subduplicata distantiarum*, h. e. gravitationis intensitas variat, ut reciproce quadrata distantiarum a centro, versus quod tendunt. Inde globum terraqueum varias et graves mutationes subire debere, jam sola suadet ratio. Sed juvabit et factis corroborare sententiam.

Manifestissimum ante omnia argumentum suppeditat *aestus maris*, cujus fluxum inter et refluxum vices Lunae novae et plenae ad unguem correspondent. Quem antiqui nonnisi conjectura adsequuti sunt Lunae influxum, immortalis Newton apodictica certitudine evicit; illud utpote phaenomenon παραδοξοτατον a sola gravitatione, quam Luna super terram exerit, repetendum esse. Si exsuperans ratis temporibus gravitatio Lunae aequoreos adtollere valet fluctus, multo magis immensa illa elastici fluidi massa, qua globus terrestris circumfunditur, ratas mutationes subire debet. Huic objectui illustrando insudavit doctissimus Mead [87]),

---

87) Mead (Richard), Tractatus de Imperio Solis et Lunae in corpora humana. Lugd. Bat. 1737.

simulque dubia removere studuit, quae opponi possent ei observationi, quod aestum maris leves tantum, ac saepenumero consuetis instrumentis vix detegendae mutationes atmosphaericae comitentur, vel nonnisi tardius insequantur. Multo majorem esse Lunae in perturbandis aëris conditionibus potestatem, ubi syzygia cum perigaeo congruunt, Toaldus [88]), strenuus Meteorologiae cultor, sedula rei observatione edoctus adfirmat.

Quae periodicis atmosphaerae mutationibus juxta varias Lunae phases contingentibus opponi potuerant, dubia, removit diligentissimus Anglus, Lucas Howard [89]), partim propriis observationibus baroscopicis, anno 1798 Londini institutis ac in formam Tabulae ipsographicae redactis, partim calculis, quibus observata meteorologica Regiae Societatis, ab anno 1787 ad 1796 collecta subjecit. Inde eluxit constantes variationes barometricas accidere, dum Luna e suis quadrantibus in statum conjunctionis vel oppositionis transit. Inter Gallos L. Cotte, Laplace, Lamark et Lalande eandem veritatem plurimis experientiis confirmarunt, paucas si exceperis opinionum discrepantias. Clar. Fritsch [90]), quatenus praecipuas vicissitudines barometricas tempore perigaei et apogaei obvenire testatur, validissimum pro influxu gravitationis selenicae super atmosphaeram nostram argumentum suppeditavit. Omne autem punctum tulit Clariss. Schübler [91]), qui nuperrime strenua diligentia et mascula perspicacia multorum annorum observationes collegit, indeque determinatas relationes inter varium Lunae statum, parique tempore contingentes atmosphaerae vicissitudines

---

88) Toaldo (Abt Jos.), Witterungslehre für den Feldbau. Übersetzt von Steudel. Berlin. 1772. Seite 88.

89) Philosophical Transactions. Tom. VII. 1802.

90) Unterricht über die Himmelskörper. Zweyter Theil. Seite 341.

91) Untersuchungen über den Einfluß des Mondes auf die Veränderungen unserer Atmosphäre. Leipzig. 1830.

evicit, adtentione non solum ad cyclum Lunae synodicum, sed etiam ad anomalum et tropicum directa.

Ast extant quoque observationes inconcussae, quibus influxus revolutionum, quas Lunae coitus et oppositio in globo terraqueo ejusque halone vaporoso gignit, super humana corpora evincitur [92]). „*Vehementiores mutationes evenire, ubi „Luna cum Sole coit, insuper adparitionibus Plenilunii,*“ Galenus testis est [93]). — „*Hoc autem,* — sunt verba G. C. Stahlii, medici et mathematici egregii, — *per experientiam vulgo notum, „ut plurimum, dixerim semper, circa quadras, in primis illas, quae „oceanum etiam solito tumidiorem reddunt, aërem quoque nostrum, „et tempestatem aut mutari, aut certe perturbari. Hinc saepissime „observantur plurimi morbi, circa illa tempora, aut augeri, aut „minui, non modo illi, in quibus nervosum genus maxime aut pati- „tur, aut occupatur, sed alii quoque* [94]).“ — Quod Aristoteles, Plinius, et Philostratus jam observaverant, plerosque nimirum mortis casus cum recessu maris congruere, Guil. Piso [95]) in Brasilia, aliique [96]) inter Aethiopes juxta maritimas Africae oras compertum habuerant. Juvabit ante omnia potiores referre observationes, quae influxum selenicum in morbos febriles commonstrant.

Τὰς τετραγώνους καὶ διαμέτρους στάσεις Lunae insignes febrium vicissitudines producere, jam Galenus monuit [97]). — „*Experientia constat,* inquit Werlhofius [98]), *circa*

---

92) Fontana (Nicol.), Bemerkungen über die Krankheiten, womit die Europäer in heißen Himmelsstrichen befallen werden. Stendal 1796. Observations on the influence of the Moon on climate and the animal oeconomy with a proper method of treating diseases when under the powers of that Luminary. Philadelphia 1800.

93) De diebus decretoriis. Lib. III.

94) Stahlii (G. C), Dissert. de aëris in praxi medica usu. §. 18.

95) Pisonis Historia naturalis Brasiliae. Lib. IV. Amstel. 1648. Lib. I. pag. 13.

96) Winterbottom, Account of the native Africans in the neighbourhood of Sierra Leone. 1803. Vol. II.

97) Loc. cit.

98) Werlhof, Observationes de febribus intermittentibus. Hannov. 1745. pag. 286.

„*notabilium Solis et Lunae vicium tempora, et quando fluxus* „*et refluxus maris, qui atmosphaerici aestus index est, maximas patitur mutationes, vel auctus eximie, vel imminutus,* „*morborum etiam, praesertim febrilium, motus typicos, typo-* „*rumque mutationes, magis esse observabiles.*" — In insulis Antillis ipsum vulgus syzygiorum periodos sanitati eminenter noxias esse novit, atque febribus intermittentibus suscitandis non minus ac earum recidivis revocandis summe idoneas, unde communis mos imminente syzygio aliquot Chinae doses absumendi [99]). Jacksonio teste inter 28 aegros, qui dialeipyram paulo ante superarunt, 24 recidivam passi sunt tempore syzygiorum [100]). — Balfourii observationes in India orientali collectae a prioribus eo tantum discrepant, quod primos febrium intermittentium graviorum accessus plerumque triduo ante syzygium, leviores contra ac diuturniori mora jamjam elanguidos brevi post Lunam plenam aut novissimam ingressuros doceant [101]). Febrientes in terris tropicis capite magis laborare, dum Luna nova aut plena ingreditur, e sequenti patet Moseleyi effato [102]): „*In the* „*spring of the year* 1777 *I remarked, that most of the patients, whom* „*I attended, in fevers, were much affected in the head at every new* „*and full moon. I have observed the same thing often, but never so* „*uniformly as in that year.*" Nuperrime etiam clariss. J. Annesley potestatem Lunae in producendis febribus intermittentibus, earumque typo permutando confirmatam habuit [103]). Atque reminiscor me feminas in Clinica Ticinensi curasse, quae febrium quartanarum recidivas constanter

---

99) Schnurrer, Geographische Nosologie. Stuttg. 1813. Seite 221.

100) Jackson, Über die Fieber in Jamaika. Aus dem Englischen mit Anmerkungen von C. Sprengel. Halle 1796. Seite 68.

101) Balfour, Treatise on Sol-lunar influence in fevers. Lond. 1795.

102) Moseley, Treatise on tropical diseases. Lond. 1792. pag. 112.

103) Annesley (J.), Researches into the causes, nature, and treatment of the more prevalent diseases of India, and of warm climates. Lond. 1828. Vol. II.

cum ingrediente periodo catameniali sunt passae; unde manifesta liquet harmonia inter typicas oscillationes febrium intermittentium, illasque menstruationis [104]). — Quam funesta fuerint syzygiorum tempora in promovenda Pestis diffusione, ex relatis Jouberti [105]), et Diemerbroeckii [106]) colligere licet. Cornelius Gemma [107]) Liddelius [108]), Heurnius [109]), Quercetanus [110]), Rondinelli [111]), Chenot [112]), Lernet [113]), Passeri [114]), et alii [115]) plura retulerunt exempla febris pestilentialis, sub ingressu certarum Lunae phasium increbescentis. Ipse Catarrhus russi-

---

104) „Nimium sane frequenter singularis hic mulierum affectus cum suis „paroxysmis ad lunaris periodi mensuram, et ipsas haud raro muta- „tiones praecipuas vel exquisite vel prope accedit." Werlhof Observationes de febribus intermittentibus. pag. 297.

105) Schenkii, Observat. pag. 872.

106) Diemerbroeck, de peste Neomagensi. Amstel. 1665. Lib. I. Cap. 4.

107) De naturae divinis characterismis. Antwerp. 1575; ubi continentur ejusdem tractatus de raro genere epidemicae febris. „In peste a. 1575 Lunam decrescentem fuisse efficaciorem."

108) Duncanus Liddelius. Lib. III. de febre. Cap. 4.

109) Heurnius, de pestis suscipiendae periculo agens, inquit: „Cave „tibi circa novilunium et plenilunium, tunc enim aëreum venenum „movetur violentius." Opera Antw. 1608. Cap. 8.

110) Quercetani pestis Alexicacus. Paris. 1615. Cap. 7. „Senes et „feminas peste laborantes frequentius Luna decrescente; plethoricos „vero in plenilunio interire."

111) Rondinelli Francesco, Relazione sul contagio stato in Firenze l'anno 1630 e 1633. Firenze 1634. „Che nel principio del male sotto il „plenilunio peggioravano i malati, e succedevano numero di nuove mag- „giori infezioni; e nella luna decrescente all' incontro miglioravano."

112) Chenot, Tractatus de peste. Vind. 1766. pag. 31. „Refert sub „*plenilunio* plures a morbo invadi et trucidari."

113) Lernet (Joan.), Dissertatio responsoria ad quaestiones de peste a societate medicorum scientiarum Varsoviensi propositas. Cremeneci. 1814. „Observatum est, pestem nostram in Novilunio magis „saeviisse: contagium enim magis actuosum et morbus lethalior fuit."

114) Passeri (Gius.), della peste col ragguaglio della peste di Tunesi avvenuta negli anni 1818, 1819, 1820. Siena 1821. pag. 46. „Si è „osservato che.... la malattia si è quasi sempre aumentata un poco „di più nel farsi la Luna piena e nel di lei rinnovarsi."

115) Medici exercitus Gallorum in Aegypto adserunt, plures sub Plenilunio pestem contraxisse et succubuisse. (Tableau de l'Egypte. Tom. II. pag. 53.)

cus, qui passim *Influenza* audiebat, dum anno 1803 Angliam et Scotiam pervaderet, tempore perigaei quam maxime desaeviisse fertur [116]).

Sunt autem et morborum apyreticorum genera varia, quae ex praedicta causa interdum manifestissimas subeunt mutationes. — Illis zonae torridae accolis, qui tumida habent crura *(Cochin-legs* Anglor.), instante syzygio febris acuta et graves dolores suboriuntur, propediem evanescentes, postquam mare recesserit [117]). Herpetes, aliaeque impetigines in Guiana ferme penitus exsiccantur, molestumque pruritum et ardorem amittunt, dum Luna decrescit; exacerbantur contra ea crescente [118]). Idem phaenomenon in aegris Rosa Asturiensi adfectis accidere, Hispanus medicus Casal, gravis, licet parum notus auctor, testatur [119]). Ulcera tibiarum in occidentali India syzygiorum tempore adeo evidenter exacerbari vidit Leonardus Gillespie [120]), ut nonnisi obstinatissimum animum Lunae influxum negare posse dixerit. — Congruunt quoque observationes in nostris regionibus con firmatae, quod tumores praesertim et ossium morbi in Lunae phasibus magis doleant et recrudescant [121]). Remedia reserandis Strumis idonea, majorem, dum Luna decrescit, efficaciam exeruisse, experientiis De Haenii et Jaegeri compertum fuit. Nec desunt exempla de faciliori profligatione vermium, praecipue taeniae, Luna decrescente. Concentus morbi comitialis et somnambulismi cum Lunae periodis, atque crebrior paroxysmorum invasio tem-

---

[116]) Schnurrer, Chronik der Seuchen. Zweyter Theil. Seite 454.

[117]) Kaempfer, Amaenit. exot. Fasc. III. Observ. 8. — Balfour Oper. cit. Num. 27.

[118]) Bajon, Nachrichten zur Geschichte von Cayenne und dem französischen Guiana. Erfurt 1781. Zweyter Theil. Seite 26.

[119]) Historia natural y medica de el Principado de Asturias. Obra posthuma, que escribiò el Doct. Gaspar Casal. Madrid. 1762. pag. 335.

[120]) Observat. on the putrid Ulcer. Conf. Simmons. Lond. Journal. 1785. P. IV.

[121]) Sprengel, Institut. Patholog. general. Lib. II. Cap. II. §. 123.

pore Lunae novae et plenae adeo notus jam fuit canae antiquitati, ut aegri labe consimili laborantes Graecis scriptoribus Σεληνιακοί [122]), Latinis vero Lunatici [123]) compellarentur. — Apud Meadium [124]) plures extant casus nevrosium, circa Lunam novam, aut plenam constanter exacerbatarum. — Van Helmont [125]), Floyer [126]) et Franzieri [127]) asthmatis cum Lunae phasibus reciprocantis exempla referunt. — Neque demum praetereunda singularis Lunae potestas in plethora, orgasmo, profluviisque cruentis producendis, ac si ipsis humoribus animalibus species fluxus et refluxus contingat, velut ad aequorei aestus imitamentum [128]). Pitcarnius, cum haud procul Edinburgo ruri esset anno 1687, coelo solito magis sereno et rubente Sole, in ipso Lunae coitu, subitum sine manifesta causa habuit sanguinis e naribus profluvium, praecedente insuetae virium imbecillitatis gravi sensu. Mortuum quin etiam eodem tempore concidisse D. Cockburne, Professorem Philosophiae, ex repentina haemorrhagia pulmonum, aliosque plures sanguinis profusionibus tentatos fuisse, ex ejusdem Pitcarnii relatis innotuit [129]). Choleram epidemicam in urbe Madras ordinario cum ingressu Plenilunii comparuisse, Walker testis est [130]).

---

[122]) Tralliani (Alexand.), libri medicinales. I. Cap. 15.

[123]) Apulejus, de virtutibus herbar. Cap. 9. et 65.

[124]) Mead, de imperio Solis et Lunae. Cap. II.

[125]) Helmont, Asthma et tussis. §. XXII.

[126]) Floyer, Treatise of the Asthma. pag. 17.

[127]) Franzieri, Abhandlung über ein Asthma period. lunare. In Harles neuem Journal der ausländ. med. Literatur. Band IX. Stück 2.

[128]) „Das Natursystem der Schöpfung hängt so genau zusammen, daß „alle Körper, organisch sowohl als unorganisch, beständig und wechselseitig auf einander wirken, daß der Umlauf der Gestirne mit dem Umlaufe des Blutes in der kleinen Welt einige Verwandtschaft hat 2c." Kletten Wiener medicinische Monathschrift. 1. Thl. Seite 25—26.

[129]) Mead, Oper. cit. pag. 206.

[130]) Edinburgh Medical and Surgical Journal. Nr. LXIV. July 1820.

Quanti momenti sit Lunae influxus ad concitandum muliebrem fluxum, cui propter periodum, quam servat, *menstruorum* et *catameniorum* nomen fuit impertitum, non ex opinione vana, sed ex quotidiana experientia abunde constat. Licet hactenus determinatum non sit, an catamenia cum syzygiorum temporibus congruant; fundamento tamen non destituitur ejusmodi conjectura [131]), si perpendimus etiam periodicas virorum haemorrhagias, menstruum purgamen adamussim imitantes, illum concentum quandoque observasse. „*Invisit me,* — ita doctissimus Mead [132]), — *juvenis generosus* „*infirmiore corporis fabrica, caetera sanus, cui per sesquiannum* „*redierat, nova constanter Luna, sanguinis sputum.*" — Regiae Societatis Londinensis Collectanea [133]) duo in hanc rem subministrant exempla profecto mira; alterum Viri cujusdam, cui ab infantia annum usque aetatis vigesimum quartum plena semper Luna sanguis ex pollice sinistro profluxit; alterum Cauponis hiberni, qui ab anno aetatis 43° ad 55um effusionem sanguinis habuit ex indice digito manus dextrae, singulis fere mensibus recurrentem. — „*Corpora virorum sana et mode-* „*ratissimo victu utentia, singulis mensibus fieri solito ponderosiora,* „*unius scilicet duarumve librarum pondere, et redire ad consuetum* „*pondus circa finem mensis, ad instar mulierum,*" experimenta sellae staticae edocuerunt Sanctorium [134]).

Sed jam satis exemplorum, et fors plus quam satis. Qui tamen novit, quam densis tenebris hodieque obveletur actio Siderum in sublunaria, et quanta inter medicos hoc intuitu vigeat incredulitas, ne dicam rerum coelestium contemtio, majori meae industriae et scrupulosae in colligendis argumentis solertiae lubenter veniam dabit. Evicto, quod hactenus

---

131) „Allerdings steht die Menstruation unter dem Einflusse des Mondes; „die meisten Frauenzimmer werden gegen das Neulicht hin menstruirt." Phil. Fr. Walther's Physiologie des Menschen. §. 630.

132) Oper. cit. pag. 206.

133) Philos. Transact. An. 1777. Numb. 171 et 272

134) Medicina Statica. Sect I. Ap. 65.

studui, syzygiorum super homines imperio, etiam illud eclipsium interlunarium suapte sponte vindicatur; semper enim defectus Solis cum Luna nova, atque defectus Lunae cum opposito statu congruit. Si insuper eclipsis Solis fuerit totalis, vel plane centralis, aliae adhuc accedunt circumstantiae, quae reciprocam Siderum concurrentium gravitationem permutare debent; maxima utpote distantia telluris a Sole, et minima ab ejus satellite. Contraria obtinent, dum Luna in toto suo ambitu occultatur.

Vita et existentia vegetabilium et animalium omnium cum tellure eamque ambiente atmosphaera adeo arcte connexa, implicita et in unum quasi organismum confusa est, ut separatim iis intactis adfici nequeat. Quamobrem *immediatus influxus astrorum super terrigenas neque admitti, neque concipi potest.* Atmosphaera naturale sistit medium, quod corporum coelestium emanationes atque impetus dynamicos omnium primo recipit et ad nucleum terrestrem conducit; unde etiam primas mutationes experiatur, necesse est. Revera non desunt observationes, quae doceant eclipsium tempore sensibiles aëres qualitates permutari. „*Memores ejus coitus Solis cum* „*Luna,* — ait Plutarchus [135]) — *qui nuper fuit, quo statim* „*sub meridiem incipiente, stellae in multis passim coeli partibus* „*effulserunt, aërisque ea fuit temperies, qualis est incerta luce in* „*crepusculo.*" — Tempore illius deliquii Solaris, quod anno 1694 accidit, mercurium in Barometro ad duas lineas se extulisse, Ramazzinius memorat [136]). — „*L'argento vivo del* „*barometro,* — ita Vallisnerius [137]), — *subito terminata* „*l'eclisse, calò una costa di coltello, e l'aria si è fatta più rigida* „*del giorno antecedente dieci gradi.*" — Durante eclipsi Solis totali, quae 22. Maji 1724 Lutetiis visa fuit, Thermometrum aliquam depressionem obtulit, quam et ego die 7. Septembris 1820 sub ipso ingressu deliquii notavi.

135) Plutarchus, de facie in orbe Lunae.
136) Opera medica et physica. 1717. pag. 110.
137) Opere fisico-mediche. Tom. 3. pag. 307.

Sunt autem isthae mutationes nimis levidenses, quam ut epidemiae constitutioni invertendae pares existimari possent. Accedunt insuper valentissimorum Physicorum observationes, quibus evincitur, tempore Solis, aut Lunae deficientis notabiles in atmosphaera variationes vix unquam occurrere. Verumtamen praepostera foret conclusio, jam omnem in globo terraqueo eumque ambiente aëreo fluido mutationem vel ideo excludere velle, quod neque Thermometrum, neque Barometrum manifesta praebeant indicia laborantis cujusdam Sideris. Quot et quantas aër saepenumero patitur labes, quas nec exquisitissima instrumenta aërometrica patefaciunt[138])! Quotidiana edocemur experientia, Hygrometrum coelo sereno quandoque altius extolli, quam si densissimae undiquaque incubent nebulae. Aërem putida mephite, pestifero miasmate, vel fragrante quodam odore imbutum, emunctas si exceperis nares, nulla revelant Aërometra. Eandem Thermometri, Barometri, Hygrometri stationem, quam hodie medias inter pluvias cernis, cras refulgente undique Phoebo ne hilum videbis discrepare. Imo et multo graviores haud raro revolutiones in atmosphaera, ipsiusque telluris visceribus accidunt, uti meteora, diluvia, terraemotus, vulcanorum explosiones, quin consuetis adnuncientur Aërometris.

Non inficior equidem, humanum corpus, potissimum si qua imbecillae valetudinis causa corrumpitur, optimis saepe praecellere instrumentis aëreas qualitates determinare dicatis. Quare, cum sequuturae tempestatum conversionis judicium irrito saepe successu Baroscopiis committimus, captae in morbis observationes longe tutiora exhibent indicia, imprimis apud illiusmodi aegrotantes, quorum extenuatum vitae

---

138) „Es gibt eigenthümliche Verhältnisse der Atmosphäre, welche weder „durch Barometer, Thermometer, Hygrometer ꝛc. erforschbar sind, son„dern sich nur in ihren Folgen auf die Lufterscheinungen, Vegetation „und Animalisation, in geringerer und größerer Fruchtbarkeit, in oft „mehrere Jahre hindurch häufigeres Erscheinen eines bestimmten Krank„heits-Charakters äußern.“ Kiefer, System der Med. 1. B. S. 652.

robur, vel perversa vitalis efficientiae conditio majorem systemati nerveo receptivitatem impertit. Floyerus [139]) perspicue animalium motuum conversiones, saepe eas, quae coeli statum mutant, praecedere dixit, sumptaque ex illis indicia tutius et celerius, quam Aërometra quaelibet ad id valere. Qui rheumatismis, arthritidi, hemicraniae, vel convulsionibus sunt obnoxii, convalescentes e gravi morbo, feminae hystericae tantam saepe praebent in percipiendis vel minimis atmosphaerae variationibus facultatem, ut eam propter haud inepte cum Barometris comparari soleant. — Non inficior pariter laesam hominum salutem in intimo cum atmosphaerae intemperie nexu esse, quod epidemiae annuae et intercurrentes affatim testantur. — Verumtamen neque reticendae sunt observationes inconcussae, e quibus constat, ferales interdum epidemias auspicante pulcherrimo coelo ortum duxisse. Exemplo sit *tussis* illa *epidemica*, quae *russa* compellabatur *(Influenza)*, anno 1775 et 1782 per Scotiam et Britanniam vaste lateque debacchans. Prior mitissimum autumnum, altera turbulentam et procellosam tempestatem excepit [140]). Alias e converso creberrimae insignesque temporum contingunt anomaliae, quin inde hominum valetudo notabilia patiatur damna. Fatetur Sydenhamus, qui tanta industria epidemiorum morborum naturam ac decurrendi modum rimatus est, diversas annorum habitudines, quoad manifestas aëris qualitates, diligenter quidem notavisse, sed operam se perdidisse; animadvertit enim „*annos, quoad manifestam aëris* „*temperiem sibi plane consentientes, dispari admodum morborum* „*agmine infestari, et viceversa* [141])." Hocce magni Viri adsertum etiam celeb. Van Svieten [142]) indefessis, quas per decem annos continuavit, observationibus confirmatum habuit.

---

139) «*But I have observed the animal spirits to be more nice and predict* «*the alteration before the weather-glass.*» Floyer Treatise of the Asthma. Cap. III. 85.

140) Schnurrer, Geographische Nosologie. S. 320.

141) Sydenham, Opera medica. Observat. medicar. Sect. I. Cap. 2.

142) Commentar. in Boerhaavii Aphorism 1408.

Sub ejusmodi rerum discrimine et contradictione jam nil mirum, quod *Calendarium medicum* aeque infirmo insistat talo, ac *meteorologicum*, et quod plurima sane incerta, erronea, imo anilia et superstitiosa praecepta atque vaticinia includat.

Hactenus dicta maxime *stationariam epidemiam* respiciunt, quae eundem characterem sub oppositis etiam anni tempestatisque rationibus per longum temporis intervallum constanter servat; „*universalis enim constitutio eadem prorsus manet,* „*sive eam promoverint qualitates manifestae aëris, sive quadante*„*nus retardaverint* [143]).“ Quum igitur ejus origo et dominium e communibus et sensibilibus atmosphaerae qualitatibus erui nequeat, aliquam tamen *causam* necessario supponere jubeat *effectus* qualiscunque, proinde etiam constitutio morborum stationaria; — in occultis virium cosmicarum altioris ordinis conversionibus fontem quaerere oportet. Quae sensus nostros, eorumque adminicula effugiunt, rerum causae, *occultae* quidem et *abditae* aliquomodo dici possunt; nullatenus vero semper et absolute *inextricabiles*. Toties enim solius *rationis* ope eruuntur veritates, quas acutissima sensuum acies incassum quaesivit. Quamobrem nondum desperandum, illos quoque successu temporis expletum iri hiatus, quos epidemiorum morborum doctrina hactenus offert. — Quemadmodum physicis disciplinis olim extitit immortalis Newton, coelestium vates et indagator felicissimus; ita fortasse et Medicinae quondam adfulgebit Sidus propitium, veluti alter Newton, ei aedificio complendo par, cujus fundamenta aliud Britanniae decus posuit, admirabilis in re medica Sydenham. — Sed revertamur jam in praefixum, unde digressi sumus, eclipsium tramitem.

Lucis diurnae defectus transitorius palmariam sistit mutationem sensibilem, quam Solis occultatio in sublunaribus producit. Haud exiguos inde in terrigenis effectus saluti infestos progigni, compluribus argumentis et experientiis

---

143) Sydenham, Observat. medicar. Sect. IV. Cap. 4.

ostendere sum adnixus. Nihilo minus solam hancce lucis privationem permutando constitutionis epidemicae ingenio non minus insufficientem esse censeo, ac illam animi consternationem, quam eclipses totales, aliave phaenomena naturae insolita in hominibus meticulosis et idiotis concitare solent. Longe gravior entium terrestrium naturam permutandi potestas inesse mihi videtur *gravitationis mutuae nisui*, qui notabiles necessario pati debet *conversiones*, quotiescunque, variantibus siderum distantia reciproca, concursu, vel discessu directo aut obliquo, contemporaneo aut successivo, relationes dynamicae inter Lunam et Tellurem, ac utramque inter et Solem commutantur, motuumque cyclicorum celeritas intenditur vel retardatur. — Evicit jam summus Kepler [144]) planetas eo tardius moveri, quo plus a Sole recedunt, et tardissime eosdem quando in aphelio versantur, id est a centro solari maxime remoti; velocissime contra in perihelio, dum Soli proximi sunt. — Idem valet de Luna, et multo magis adhuc de Cometis, qui summe excentricis ellipsibus circa Solem volvuntur. — Qualis autem *inter hasce* ἀμοιβὰς δύναμεις *Siderum invicem gravitantium atque res sublunares* possit esse *consensio*, modo pro viribus collustrandum erit.

Gravitationis nomine intelligitur nisus, quo omnia corpora, intra sphaeram activitatis posita, versus centrum trahuntur, unde etiam *vis centripeta* audit. Est autem ea nil aliud quam modus *adtractionis*, seu *vis adtractivae*, cujus ope integrantes corporum moleculae sibi adpropinquantur, ita ut plus minusve resistentem constituant massam. Illi e diametro opponitur nisus a centro ad peripheriam, *seu vis centrifuga*, quae prioris coërcitione harmonicam sustinere juvat corporum etiam remotorum, omnique fulcro carentium connexionem per spatia immensa, uti in coelestibus evenit sphaeris. — Quemadmodum vis adtractionis et gravitatis materialem corporum existentiam determinat, atque cohaesione,

---

144) Kepler de Stella Martis comment. Part. III. Cap. 33 et 34.

pondere, resistentia, et impenetrabilitate se manifestat; ita *efficientia* ei opposita, *repulsiva*, materiam expandit, rarefacit, destruere adnititur, atque potissimum *sub forma lucis*, elementi summe expansivi, immaterialis, et imponderabilis in conspectum venit. Sol, tamquam centrum, fons, et gubernator existentiae atque vitae omnis per totum systema planetarum, utramque illam energiam polari directione oppositam *κατ' ἐξοχὴν* exerit atque patefacit.

Principium radians, lux, e Solis inexhausto fonte manat, atque intra ejus sphaeram activitatis undiquaque diffunditur; *ἐνορμῶν solare, nisus Solis centrifugus.* Ei directa ratione opponitur vis gravitatis, cujus ope planetae omnes in suis orbitis versus centrum luciferum nituntur, et cui suam simul existentiam materialem debent; *nisus planetarum centripetus, principium planeticum, terrestre,* quatenus singulae nostri orbis particulae eundem ad ipsius centrum manifestant nisum, quem terra Solem versus. Luna autem, uti telluris satelles, duplici regitur dictatura; namque a Sole lucem mutuatur, cum tellure gravitationis lege connectitur. — Ast in minimis etiam rebus nisus in centrum et renisus in peripheriam vi gravitationis et lucis perficitur [145]). Quo magis cohaerentia sint corpora, eo minus pervia luci esse consuescunt. Imo durissima et ponderosissima omnium, metalla, tantam ostendunt lucis aversationem, ut eam non solum non transmittant, sed vix receptam actutum repellant. Quatenus lux gravitati et adtractioni opponitur, plurimum etiam confert ad solvendam cohaesionem, quo facto formationes oriuntur crystallinae et dendriticae. — Perpetuum observamus certamen lucis et gravitatis per totam naturam; alterutra harum potestatum victrix imprimit suum corporibus naturalibus characterem, unde manifesta inter utrumque principium viget polaritas directionis, sive *ἐυδυντικη* [146]). Gravitas est sine

---

145) Sprengel, Institut. Physiolog. I. §. 16.

146) „Die Materie aber ist alles, was sie ist, nur im Gegensatze des Lichtwesens ꝛc.“ Walther Physiologie. §. 44. Anmerk. 2.

luce; lux sine gravitate. Quidquid materiam destruere atque cohaesionis vincula solvere nititur, luci extricandae par evadit; uti combustio, putredo, frictio, malleatio. Ergo sumptibus destructae cohaesionis gignitur lux. Ita quoque fluidorum elasticorum compressione lucem elici protinus ac potentia comprimens remittitur, ea confirmant sclopeta, quibus a vento nomen impertitur (Windbüchse, Fusil à vent). Eam luctam lucis mere efficacis et materiei jam Plotinus Aegyptius, quamvis e mysticis rationibus, exposuit [17]; Schelling vero, Steffens et Oken firmioribus argumentis illustrarunt.

Antithesis dynamica inter principium lucens, expansivum *(photogenium)*, atque gravitans, adtractivum *(barogenium)* variis sese manifestat modis, simulque alius generis polaritates, thermogeneticam, chemicam, et electricam, movet, excitat, sufflammat. Cum luce calor, phlogiston, electricitas negativa, cohaesio imminuta, — cum gravitationis excessu frigus, oxygenium, electricitas positiva, materiei aucta soliditas constanter congruunt. In illa ἀντινομία polari in qua lux unum praesentat polum, tenebrae nequaquam veluti oppositus considerari possunt; etenim nil nisi prioris orbitatem sive defectum, proinde simplicem privationem sistunt, ac simili ferme ratione ad lucem se habent, uti levitas ad gravitatem. Aliter vero res se habere videtur in polaritate thermotica; hactenus saltem persuaderi non potui, ut in frigore simplicem tantum caloris negationem agnoscerem.

Variantem Siderum, quae cum nostro planeta proxime nectuntur, gravitationem, a priori jam vindicatam, multifaria comitantur phaenomena, e quibus non solum praedicta inter principium luciparens atque gravitans contrarietas et ἀντιπάλη, verum etiam isochronus cum efficientiis homonymis concursus plane innotescit. Syzygia aestum maris menstruum pariunt, cum Luna nova et plena periodice redeun-

---

[17]) Sprengel, Institut. Physiolog. I. §. 33.

tem, qui major esse solet tempore aequinoctiorum, pariterque dum satelles noster in apogaeo constituitur, teste La Place. Luna meridianum pertransiens aestum maris diurnum concitat. — Minor gravitationis telluricae nisus in zona aequatoriali ad unguem congruit cum aucta ibidem vi centrifuga, luce efficacissima, et calore fervido. Languidius profecto pendula oscillant circa aequatorem, suosque motus accelerant in regionibus temperatis et polaribus, quae minores circa terrae axin describunt circulos. — Solstitium aestivum, quo lucis, caloris, expansionis summa est intensitas, diesque longissimi, correspondet aphelio, seu maximae distantiae telluris a Sole, quacum elanguescit progressivus Terrae motus, ac planeticae gravitationis versus centrum nisus. Cum perihelio contra, quo Tellus Soli proxime accedit, majoremque gravitationis efficaciam adipiscitur, hyemale solstitium, frigus, lucis infirmitas, dies brevissimi omniumque corporum auctior cohaerentia conspirat. — Periodicae mutationes barometricae, quae intra nycthemerum contingunt, et quidem potissimum, dum Sol meridiani polos tangit, variam quoque testantur atmosphaerae gravitatem sub variato diei et noctis, solaris vel planeticae ἐνεργειας, praedominio. Quotidianus ille aëris fluxus et refluxus, periodica simul ventorum vicissitudine comitatus, multo manifestior observatur in zonis tropicis, in quibus universim efficacius esse solet Solis Lunaeque imperium [148]), tum ob majorem tempestatum aequabilitatem coelique constantiam, tum ob directam magis, seu rectilineam Siderum actionem. *Dies* vitae solaris, *nox* vitae terrestris exhibet simulacrum.

Ipsa demum *acus magnetica* cum variato gravitationis telluricae statu in arcto, licet nondum sufficienter demonstrato, nexu esse videtur. Eo magis a sua axi declinat, vel horizontem versus inclinat, quo magis ab aequatore distat. In utroque autem telluris hemisphaerio constanter inclinat

---

148) Humboldt, Géographie des plantes. pag. 91.

versus plagam lucifero Sideri oppositam, id est, versus polos, majori gravitationis nisu insignes. Turbines, aëris commotiones procellosae, terraemotus, eique consimilis aequoris concussio miras persaepe acus magneticae oscillationes producunt. Neque desunt alia argumenta, quae summam inter phaenomena magnetismi et gravitationis analogiam [149]), atque manifestam ex adverso ea inter et lucis emanationes heteronymiam patefaciunt [150]). — Magnetismus nil aliud est, quam modus vis adtractivae et repulsivae, etiam in distans actuosae, quae non ferro soli, nec paucis metallis, sed omnibus fere terrestribus corporibus, si modo tenuissime secta fuerint, tribui potest [151]). Magnetica virtus in solidis tantum animadvertitur, magis in durioribus, ac potissimum in ferro, cujus maxima est inter reliqua metalla cohaerentia. In magnetismo eminet polaritas directionis, sive ἐνδυντερία. Istam pariter sequitur lex gravitationis. Corpora magnetismo subjecta, metalla utpote et minerae, quae gravitationis nisui κατ' ἐξοχὴν auscultant, sunt corpora opaca. Quae cohaesionem corporum relaxant, vel destruunt, potentiae, magneticam quoque evertunt virtutem. An gravitatio Siderum fortasse modus tantum magnetismi cosmici? An inclinatio pendulorum versus montes altiores, illaque acus amalphitanae versus terram ejusdem προτόδυναμεως effectus variati?

Tametsi *gravitationis cosmicae leges* regulari et immutabili Siderum motu gubernentur, quem et ipsae gubernare juvant, unde periodicae conversiones oriuntur, quae ratis ordinibus omni anno, omni mense, omni die sibi succedunt; nihilo

---

149) „Das empirische Phänomen des Magnetismus, oder die Adhäsion „der sich entgegengesetzten Pole, beruht auf demselben Grunde, wie „die Cohäsion der starren Körper in sich, deren Cohäsionslinie nur „durch die Indifferenzirung der sich entgegengesetzten Pole in jedem „Puncte hervorgebracht wird.“ Walther Physiol. §. 51.

150) Das Streben der Schwere sich gegen das Licht zu behaupten, das in der Metallerzeugung offenbar wird, ist der Magnetismus, der Lichtschwerekampf. Oken.

151) Sprengel, Institut. Physiol. §. 32.

tamen minus *determinatas variationes patiantur, necesse est, juxta diversas eorumdem corporum coelestium collisiones in spatio et tempore.* Prouti nisus gravitationis, quem terra Solem versus habet, nullis interceptus obstaculis, absolutam sui defendere valet libertatem; vel Lunae influxu reluctante infringitur; vel utriusque Sideris duplicata actione intenditur; vel vero interventu cujusdam impulsus e diametro oppositi eliditur; — etiam effectus et phaenomena, quae e certamine principii lucentis (repellentis) et gravitantis (adtrahentis) scaturire consuescunt, varias subitura esse conversiones, mox manifestas et graves, mox ferme insensibiles, rationi omnino consentaneum est. Quamobrem etiam tempore eclipsium, quo Sol, Tellus, et Luna determinatas ineunt relationes in spatio, reciprocantis adtractionis nisus modo intendi, modo minui debet. — Analogum effectum Cometas quosdam, dum terrestri aut lunari orbitae propius accedunt, exerere posse, Newtonianae legis conformitas per totum Universum vigens suadet, quin tamen in re adeo problematica aliquid certi proferre liceat.

Quod si ulterioribus investigationibus confirmaretur *Aetheris singula Sidera ad insignem distantiam ambientis existentia,* antiquitus quidem jam, et imprimis ab Aristotele propugnata, moderno autem aevo novis argumentis suffulta, simulque nuperrimum celeb. Gruithuisenii effatum extra dubitationis aleam poneretur, quod nimirum *atmosphaerae corporum coelestium per rotationem eorum circa proprias axes a polis versus aequatorem continuo renoventur, atque ad illam usque extendantur distantiam, qua ipsorum gravitatio viget* [152]), — plurium in orbe nostro phaenomenorum, ipsarumque constitutionum epidemicarum rationes, hactenus occultae, vel saltem problematicae, e reciproco collisu inter Siderum proximorum atmosphaeras semet contingentes clarius innotescerent.

---

[152]) Münchner Zeitung vom 15. November 1830.

Organismus humanus consentit et cohaeret cum Universo, cujus pars omnino est. *Obedit iisdem legibus aeternis,* e quarum concentu illa rerum et phaenomenorum prosilit syndrome, quam *Naturam* adpellant [153]). Peculiari quidem formatione et vivendi modo insignis, *participatur tamen viribus fundamentalibus macrocosmi,* quae in cunctis, quotquot existunt, corporibus redeunt, licet variatis ac paene infinitis sub formis. — Quotiescunque igitur ejusmodi orbis nostri cum proximis et confinibus astris obveniat collisio, quae gravitationis telluricae modum et intensitatem variat; etiam vitae humanae manifestationes, et quidem ante omnia fundamentalium virium polaritates analogam vicissitudinem subeant, oportet. — Recte quidem jam summus Boerhaavius monuit, „*gravitatis vim* „*per varios Siderum positus mutabilem esse, indeque respectu va-* „*riatae attractionis et repulsae multiplicia mutari posse in ipsis cor-* „*poribus* [154]).“ Plerique tamen medici hujusmodi cosmicae ἐνεργείας dignitatem, ejusque in gubernando et modificando vitali processu efficaciam hodieque neglexerunt.

Quemadmodum motus grandi-mundiales inter duos continuo oscillant polares impulsus, quorum unus nisum expansivum, centrifugum, alter contractivum, centripetum exerit, prior lucis, posterior gravitatis et cohaesionis sub forma exsurgit [155]); (reliquos enim polaritatum lusus, ac diversas quae inde emergunt phaenomenorum formas et leges, uti esset polaritas electrica, thermotica et chemica, ad vitam telluricam circumscribimus); — ita etiam *oscillationes vitales hominis individui ad eandem legem primitivam dichotomiae cosmodynamicae sub schemate Photo-baromachiae reduci possunt, cui non solum ad amussin correspondent et obediunt, sed*

---

[153]) „Alles Daseyn ist sich gleich, ein untheilbarer Begriff; im Größesten „sowohl als im Kleinsten auf einerley Gesetze gegründet.“ Herder, Propyläen der Geschichte der Menschheit. Erstes Buch. I.

[154]) Chemiae pars altera. De Art. Theor. Cor. II.

[155]) „Die Elemente sind überhaupt nur verschiedene Ausdrucksarten des „feindlichen Gegensatzes zwischen Materie und Licht.“ Walther, Physiolog. §. 46.

etiam analogas exhibent formas [156]). Periodicae evolutiones, quas vita hominis tam sana, quam infirma offert, potiora et inconcussa suppeditant prolati dogmatis argumenta.

Ante omnia, inquit perspicacissimus Testa [157]), in sanis et aegrotantibus consideravisse interest perpetuam illam, quae omnium instar bis omni evenit die, vitalium motuum conversionem, ut nempe interdiu a centro ad peripheriam, a corde videlicet ad extrema corporis, luce maxime juvante, expeditissima eorum concursio fiat; contra vero nocte a peripheria ad centrum fiat quasi retrograda motuum conversio. Quapropter plurimum, diurno tempore, progressivo motui dandum est, et contra sub noctem intestino. „*Tous les soirs* „*nos facultés tendent à se replier vers les parties internes, et tous les* „*matins à s'épanouir au dehors* [158]).“ — Cum oriente Phoebo, naturae ad nutum si vixerit homo, nocturnus discutitur sopor, omniaque vitae sensiferae munera repentine suscitantur, ac si alter Prometheus, igne coelis erepto, novum nervis infunderet robur. Quae somno durante intra materiales corporis cancellos restringebatur vita, multifarias, dum evigilat homo, cum mundo externo init consensiones, mirosque variis cum incitamentis lusus. Cum luce diurna omnes expergefiunt functiones, quae nervorum et maxime sphaerae cerebralis ope et mediatione perficiuntur, coenaesthesis, sensus externi, conscientia sui, phantasia, intelligentia, voluntas libera, virium vigor, motuum vitalium pernicitas major, humorum expansio, ac in minus cohaerentes formas conversio, thermopoësis et electricitas vividior, indubia sunt auctae emanationis signa. — Noctis contra dominium vitae impetum in interiora quasi reflectit, somnum conciliat, sentiendi fa-

---

156) „Alles Leben ist ein Wechselspiel polarer Kräfte, alles Bilden und Wer-
„den ist ein Kampf zwischen Licht und Finsterniß, worin dem Licht, als
„dem höheren Pol, der endliche Sieg beschieden ist.“

157) Testa, de vitalibus periodis aegrotantium et sanorum, seu elementa Dynamicae animalis. Lond. 1787. Vol. II. pag. 127.

158) Virey, in Dictionnaire des Sciences medicales. Art. Influence.

cultatem retundit ac protinus opprimit, luciferos, ut ita dicam, vitae animalis radios hebetat atque occulit, calorem minuit [159]), motuum muscularium torporem parit, intendit verö energiam intestinam vitae somaticae; pulsus retardat quidem, sed fortiores plenioresque reddit, materiei crystallisationem ac proinde nutritionem promovet, humorum plethoram ac densitatem auget. — Quod inane et plumbei ponderis instar inter dormiendum decumbit corpus, sola gravitate lecto humove adfixum, noctis caligine discussa erigitur, terrestris adtractionis vincula solvere ac libero motu autocraticam suam superioritatem defendere adnitens, duobus tantum fulcris genitori planetae innititur, cujus superficiem obiter tangit, et, cum terrestris progeniei et obtemperationis jura vincere nequeat, verticem saltem coelestia Luminaria versus extollit [160]). Variatus iste naturae status, quem diei noctisque vices pariunt, atque consona, quae inde scaturit, vitae humanae diversitas, *constitutionem quotidianam* efficit.

Liceat hic loci rei dilucidandae ergo gravia doctissimi Greineri, Viri eruditione et ingenio insignis, adjungere verba [161]), quae, qualicunque verti vellent idiomate, plurimam pretii partem amitterent: „Das Sonnenleben, der „erregende Lebensquell für die ganze Planetenwelt und die Erde, ist es „auch für alle organischen Wesen. Es erregt das dem Sonnenleben paral„lel gehende Hirnleben des Menschen, und begünstigt den Wach„zustand desselben, wie es in dem Erdenleben den Unterschied von „Tag und Nacht setzt, je nachdem die Erde in ihrer Axendrehung sich „dem unmittelbaren Einflusse der Ausstrahlung des Sonnenlebens hingibt „oder entzieht. In dem letztern Falle wird alsdann der unmittelbare „Einfluß dieser Sonnensphäre auf die Erde vermindert, und das beson-

---

159) „Vigilans calidior externis partibus, dormiens vice versa." Hippocrates, Epidem. Lib. VI. Sect. IV.

160) „Das Verhältniß zwischen Wachen und Schlaf ist gleich dem Verhält„niß von Licht und Schwere." Walther, Physiolog. II. B. §. 611.

161) Pierer's medicinisches Real-Wörterbuch. Vierter Band 1821. Art. Leben. Seite 644.

„dere Leben der Erde tritt alsdann desto stärker hervor; der Erdgeist „waltet desto kräftiger, und übt dann auch seinen Einfluß auf die „Naturseele in dem, dem tellurischen Leben entsprechenden Reflex der- „selben, nämlich in dem das Leibliche ausprägenden Bildungsleben."

Tanta est adfinitas lucis cum nervis, sive cum eorum, quod vehunt, principio imponderabili biotico, ut morbi, quorum plurimus cum systemate nervoso consensus interest, extremos a luce labores incurrant. Febrium intermittentium paroxysmi ferme constanter interdiu invadunt, atque nevroses pleraeque diurnis exacerbantur horis. Hemicrania diei cursum saepe adeo adaequate comitatur, ut exoriente Sole corripiat, meridie summum culmen adtingat, et occiduo Phoebo evanescat. Potissima vero in hypochondriacis, hystericis, maniacis, et hydrophobis exempla vigent. Eos adeo immane lux aliquando exagitat, ut cum die intolerabilia morbi vestigia perpetuo augeantur, irrepentibus noctis umbris suapte sponte mitiganda. — Illi contra morbi, in quibus automaticae vitae munera, contractilitas vasorum, sensus corporeus, processus plasticus, secretiones, vel hydraulicae humorum circulantium vices eminenter patiuntur, uti febres angiosthenicae, gastricae, hecticae, inflammationes, congestiones, haemorrhagiae, phthises, cachexiae, et s. p. nocturno maxime tempore ingravescunt. — Pleraque funera accidunt noctu; ipsaque nox atra veluti mortis imaginem praebet. Φάος Ζηνί, σκότος ᾅδῃ [162]): L u x J o v i, t e n e b r a e O r c o.

Analogam manifestationum vitae vicissitudinem, prouti eam diei phases offerrunt, *extrema* quoque *anni tempora*, quae cum solstitiis congruunt, cum in statu morboso, tum in sano determinare solent; ita ut *aestate* vita hominis diurna, praevalens nervorum efficientia, sensibilitas, nisus emanationis, vigiliae longiores, — *hyeme* ex adverso vita nocturna, praepollens vasorum efficientia, irritabilitas organica eique subor-

---

[162]) H i p p o c r a t e s de victus ratione. Lib. I.

dinata vis plastica, nisus cohaesionis, atque somnus multus ditionem exerant [163]). Inde fluunt *constitutiones solstitiales*, et *diatheses hominum epidemiae*, bis in anno periodice revertentes, quarum gratia non solum oborientes fortuito morbi peculiare adipiscuntur ingenium; sed etiam determinata infirmitatum genera super populum grassantur. Quod autem essentiales istae ac periodicae conversiones vitae humanae effectus necessitudinum cosmicarum inter Solem et terram potius, quam atmosphaerae qualitatum sensibilium sistant, jam inde liquet, quod pari ordine in illis quoque sibi succedant zonis, ubi Aërometra exiguas tantum indicant variationes, summaque tempestatum viget constantia [164]).

Luna, quae, uti Sidus subordinatum, autocratica vacat potentia, minus positivum super terrigenas exerit influxum, ideoque *minus evidentem in phaenomenis vitae antithesin ponit.* Videtur statum quasi intermedium inter somnum et vigiliam, inter sensibilitatis et irritabilitatis extrema inducere, id est,

---

[163]) „Was sich im Macrocosmus durch den Gegensatz des Sommers und „Winters entwickelt, und bis in die Organismen hinein oscillirt, das „entwickelt sich in den Microcosmen durch den nähmlichen Gegensatz „der Nervosität und Arteriosität, der in ihnen selbst ist. Derselbe Ge„gensatz, der im Macrocosmus in kleinen und wiederkehrenden Epo„chen, als Jahres- und Tageszeiten oscillirt (der Gegensatz des Ta„ges und der Nacht, der individualisirenden und universalirenden Thä„tigkeit), zeigt sich auch hier, aber organischer, centraler, und leben„diger." Reil, Entwurf einer allgemeinen Therapie. Halle 1816, Seite 522.

[164]) „Daß diese jährlichen Veränderungen weniger ein unmittelbares Pro„duct der verschiedenen Witterungen in den Jahrszeiten, als vielmehr „gemeinschaftlich mit diesen Folge einer tiefer liegenden Ursache seyen, „ist wahrscheinlich, weil die Jahres-Krankheiten in unsern Klimaten „oft eine strengere Aufeinanderfolge beobachten als die Witterungen, „und weil in andern Klimaten, die beynahe keinen Unterschied der „Jahreszeiten haben, in welchen das Fahrenheit'sche Thermometer das „ganze Jahr nur von 72° bis 86° varirt, und die Winde, Barometer„und Hygrometer-Stände sehr unbedeutenden Veränderungen unter„worfen sind, doch dieser Gleichförmigkeit der Witterung ungeachtet „dieselbe Aufeinanderfolge der Krankheiten sich zeigt." Schnurrer, Materialien zu einer allgemeinen Naturlehre der Epidemien. Tübingen 1810. Seite 9.

modo lucis solaris, modo gravitationis telluricae impetum mitigare, ac vigentem antimachiam quadantenus exaequare, prouti vel interdiu imaginem noctis (Luna nova), vel noctu simulacrum diei (Luna plena) offert [165]). Quamobrem *constitutio menstrua* insensibili ferme gliscit modo, efficacioribus influxibus helio-telluricis plerumque oppressa. Fundamentalibus tamen polaritatis legibus selenicas quoque in spatio et tempore sibi succedentes conversiones auscultare, nil est quod adversetur; eo tantum discrimine, quod praecellere debeat gravitationis imperium (juxta Newtoni calculos enim adtractio Lunae eam Solis quater superat), prae illo lucis a Sole mutuatae ac simpliciter reflexae.

Si jam *lux*, uti elementum summe expansivum, efficientiam vitalem homonymam in nervis actuosam suscitat, atque *sensibilitatem*, sive *facultatem percipiendi* (receptivitatem) intendit; — *gravitationis principium*, priori oppositum, efficientiam organis contractilibus inhaerentem, *irritabilitatem* utpote, seu *facultatem reagendi*, ac proinde robur vitae physicum augere debet. — *Cosmicis* autem, quae rato semper ordine fiunt, *conversionibus* illae tantum obsecundare poterunt vitae humanae manifestationes, quae φύσιν, sive *somaticam organismi sphaeram* respiciunt. *Anima*, ceu ens absolute liberum, ac proinde etiam facultates intellectuales et morales ab ea directae, periodicis circuitibus adstringi nequeunt [166]). Quales-

---

165) „Wie der Mond ein besonderes Verhältniß zur Erde behauptet, und „sowohl der Erde, als auch durch diese, und mit ihr der Sonne zuge„hört, und namentlich in den Tag die Analogie von Nacht, in die „Nacht eine Analogie von Tag setzt; — so begründet er auch im „menschlichen Leben einen Zwischenzustand von Wachen und „Schlafen, und setzt das Hirnleben in das Ganglienleben, und umge„kehrt dieses in jenes, vorzüglich zu der Zeit, wo die Einwirkung sei„ner Atmosphäre auf das atmosphärische Leben der Erde und der Men„schen durch den Reflex der Sonnen-Atmosphäre an ihm verstärkt „wird.“ Pierer's medicinisches Real-Wörterbuch. Vierter Band. Art. Leben. Seite 644.

166) „Siderum in moralia influxus non tantum omni verisimilitudinis „specie destituitur, sed ne quidem possibilis est: sidera enim, quo-

cunque igitur fuerint *ὑρανῶν δύναμεων* modi ac coelestium conflictuum formae, *automaticas vitae manifestationes*, et quidem ante omnia *incitationem prae vegetatione*, *vires animales prae materia organica* laedunt atque offendunt, quum actio in distans mechanicas et chemicas mutationes excludit. Hinc *sensibilitas corporea*, sive *coenaesthesis*, atque *irritabilitas organica*, — quarum prior in systemate gangliari, altera in systemate vasorum sanguiferorum potissimum residet, — nutui oscillationum cosmicarum per eminentiam auscultabunt. Viscera et organa individua, in quibus structura magis composita atque multifarius percipiendi et reagendi modus efficit, ut variatis tantum potentiarum telluricarum generibus obtemperent, nonnisi eatenus patiuntur, quatenus etiam in illis eaedem fundamentales vires organicae polari collisione congruunt.

Prouti in certamine illo, quod Siderum motus et conversiones relationum mutuarum concitant, principium luciferum vel vis gravitationis, potestas solaris vel planetica, nisus centrifugus vel centripetus excellat, — etiam in conflictu homologo virium organicarum *modo principium sensibilitatis (expansivum)*, *modo illud irritabilitatis (contractivum) majorem vel minorem adepturum est efficaciam* [167]). Ipsa autem lex antitheseos efficit, ut excessus unius, alterius languorem comitem habeat; nisi concursu circumstantiarum peculiari utriusque intensitas una augeatur, vel minuatur. *Princeps itaque ac summe universalis effectus, quem corporum coelestium*

„niam pura sunt corpora, eorum quoque effectus corporei sunt et „materiales, qui per se ad moralia pertingere non possunt." Bartholotti Ord. Monach. S. Pauli Dissertatio elenchtica in qua adversus varia superstitionum genera disputatur. Viennae. 1779. pag. 87.

167) „Sonne und Planet sind durch Hirn und Herz im Menschen selbst, „als innere Gegensätze, die sich zur Individualität spannen, gesetzt. „Und gerade hier, wo Licht und Schwere sich gleich gesetzt, diese Ge- „gensätze absolut innerlich geworden sind, Hirn und Herz sich umar- „men, treten sie äußerlich wieder aus einander, und jeder wird für „sich, dieser als Seele, jener als Leib, sichtbar." Reil, Entwurf einer allgemeinen Therapie. Seite 526.

cum tellure intime nexorum collisiones variae, indeque oriundae virium cosmicarum conversiones in spatio et tempore super humanum organismum exerunt, ad augmentum sensibilitatis cum reactionis vigore infracto, vel ad imminutionem receptivitatis cum reactionis robore majori reduci potest. Inde *vita humana* rato tempore *varium* contrahit *tenorem* (Gesundheitsstimmung), cum periodicis revolutionibus intime connexum; inde *varias* in determinata morborum genera sortitur *dispositiones*, seu *diatheses* (Krankheitsstimmung); inde *aegritudines ipsae*, diversis e fontibus oriundae, definitos lucrantur *characteres, formas, ac decurrendi modos* [168]).

Complexus rerum et conditionum, qui praedictas vitae humanae conversiones periodicas determinat, populorumque valetudinem regit, *constitutio epidemia* compellatur, et quidem per eminentiam *cosmica*, quatenus a variis vitae mundanae mutationibus, coelestiumque motuum collisione varia dependet. Distinguitur tali pacto a constitutione *tellurica*, quae e mutatis conditionibus atmosphaerae, tempestatis, climatis, aliarumve circumstantiarum ad ipsam terram spectantium scaturit. Haec pro variis ad spatium, vel tempus relationibus in *epichoream*, (*endemiam*) seu *stabilem*, atque *intercurrentem* seu *mobilem* dilabitur. Constitutio cosmica super vastissimas extenditur telluris plagas, regulari serie alternat, ac eundem in utroque hemisphaerio characterem pari tempore exerere nequit. Constitutio tellurica arctioribus circumscribitur locorum finibus, — eam si excipias, quae a climate geographico pendet, et jam in arctissimo nexu cum cosmicis influxibus est [169]), — nullam in circuitu observat legem, ac in oppositis etiam sphaerae terrestris locis eodem tempore dominari poterit. — Alia demum adhuc, et quidem essentialis differentia in eo habetur,

---

168) „Die cosmischen Verhältnisse können das Wesen der Krankheit geben, „und die tellurischen die bestimmte Form.“ Reil, Oper. cit. Seite 501.

169) „Die Verschiedenheit der Jahreszeiten wiederhohlt sich in den klimatischen Verschiedenheiten, und die Zonen sind nur räumlich fixirte Perioden; so die Tropen der bleibende Sommer, und die Polar-Zonen „der ewige Winter.“ Walther Physiologie §. 278.

quod *constitutio cosmica* organismum humanum, tam in statu sano, quam in morboso, remote tantum adficiat, ad hanc illamve valetudinem disponat, nunquam vero morbum proxime et immediate producat; quapropter nonnisi *momentum proëgumenon, seu disponens* largitur, quo opitulante vel definita morborum genera crebius occurrunt, vel communes morborum alius progeniei species peculiarem contrahunt indolem [170]). Hocce magni momenti dogma aetiologicum jam Frid. Hoffmannus [171]) clare pronunciavit, ipsique Veteres, astra inclinare, non necessitare, prudenter dictarunt. Inde jam liquet, nunquam de *morbis stationariis*, sed nonnisi de *constitutione stationaria* sermonem esse posse, quae in organismis *diathesin ejusdem nominis* ponit. *Constitutio tellurica* e converso, quae jam manifestas qualitatum atmosphaericarum mutationes cum organismo immediate collidentes supponit, tamquam *momentum procatarcticum*, seu *efficiens* considerari potest. Et si prior quandoque in veram epidemiam excandescere visa fuit, id nonnisi sub contemporaneo concursu injuriarum telluricarum, caloris, frigoris, ventorum, mephitis etc., contigit. *Constitutio epidemica* igitur *ad epidemiam* se habet, ut *diathesis ad morbum*; haec relate ad singula individua, illa relate ad societatem humanam.

Constitutiones epidemiae, quas perspectis uranicarum conversionum modis ratio suadet, et experientia vindicat, sunt: *quotidiana, menstrua, annua, et stationaria* [172]). Sequens schema morborum epidemiorum discrimina illustrabit.

---

170) „Die Febris stationaria ist, wenn sie einmahl herrschend geworden, „nichts anderes, als unsere eigene Constitution, die Anlage, die „prädisponirende Ursache. Sie kann sich wohl auf nichts anderes gründen: „als daß eines der vier Systeme im Organismus vorherrschend gewor„den, wornach sich dann alle Krankheiten, die acuten sowohl als die „chronischen, modificiren." Marcus, Entwurf der speciellen Therapie. Erster Theil. §. 380—383.

171) Dissert. de Astrorum influxu in corpora humana. §. 41.

172) Kieser, System der Medicin. Erster Band. §. 666.

Schema

Morborum Popularium

atque

Constitutionum Epidemiarum.

I. Morbi epidemii constitutionales.

Epidemiae κατ' ἐξοχὴν dietae.
Volkskrankheiten.

Momenta causalia variis *vitae mundanae* metamorphosibus extricantur *(extra hominem)*, variis utpote *constitutionibus cosmico-telluricis*, sequenti modo distribuendis:

A. Constitutiones cosmicae.

1. Constitutio quotidiana.
   a. Constitutio diurna.
   b. — nocturna.
   c. — crepuscularis. { matutina. / vespertina.
2. Constitutio menstrua.
   a. Constitutio neoselenica.
   b. — panselenica.
   c. — intermedia. { Lunae crescentis. / Lunae decrescentis.
3. Constitutio annua.
   a. Constitutio aestiva.
   b. — hyberna.
   c. — aequinoctionalis. { verna. / autumnalis.
4. Constitutio stationaria.

II. Morbi epidemii pestilentiales.

Morbi loimici Veterum. Contagiones.
Seuchen.

Momentum causale per determinatas metamorphoses morbosas *vitae humanae* generatur *(in homine)*.

A. Contagiones originariae (vernaculae).

1. E morbis sporadicis.
2. Ex epidemiis meteoricis, intercurrentibus (fortuitae).
3. Ex endemiis climatis geographici vel topici (perennes).

B. Constitutiones telluricae.

1. Constitutio meteorica; (variabilis et mobilis). Inde morbi tempestatum, epidemiae intercurrentes, atmosphaericae. (Witterungs-Krankheiten.)
2. Constitutio climatica; (constans et immobilis). Inde morbi climatici, epichorei, endemii.
   a. Constitutio zonalis { Zonae tropicae. Zonae temperatae. Zonae polaris.
   b. Constitutio topica.

B. Contagiones translatae (exoticae).

Discrimina essentialia inter morbos epidemios

Constitutionales et Pestilentiales.

Constitutionales

1. *Diathesis peculiaris*, quae cunctis hominibus imprimitur per dominantis constitutionis characterem, unde proclivitas in *determinata morborum genera, formae mox ejusdem, mox variatae.*
2. Causam procatarcticam praebent noxae atmosphaericae, mox notae, barometro, thermometro, hygrometro, electrometro, eudiometro, etc. eruendae, mox ignotae.
3. Determinatis tantum epochis dominantur, nisi cum climatis conditione intime cohaereant.
4. Plura individua eodem tempore invadunt; commercia hominum eorum numerum nec augent nec minuunt; ergo jam ab initio sunt epidemici.

Pestilentiales

1. *Nulla diathesis propria;* in quibusdam tamen individuis *indispositiones* cernuntur, licet potentiae morbificae exponantur. *Forma morbi constans; ingenium specificum.*
2. Unicam causam efficientem largitur fomes contagiosus, processus morbosi productum, qui aliis communicatus individuis eundem generat morbum per quem rursus reproducitur.
3. Nullam in ortu et circuitu legem observant, nisi e constitutionalibus morbis evolvantur.
4. Incipiunt a singulis hominibus, quorum consortio multiplicantur per transfusionem; sunt itaque sporadici in exordio.

5. Diffunduntur ratione inversa rotationis telluris circa proprium axin, ergo ab ortu versus occasum, excipiendo morbos climaticos, ceu immobiles.
6. Semel oborti proclivitatem organismi in idem malum intendunt.
7. Nulla quidem constitutio epidemia contagium parit; potest tamen conditiones subministrare, quibus faventibus morbi vulgares contagioso fomiti extricando pares fiunt. Sub tali solum restrictione transitus epidemiae proprie talis in contagionem admittendus.
8. A contagionibus nullam patiuntur mutationem.
9. Pari tempore plures una vigent constitutiones epidemiae, ea quidem ratione, qua dies, mensis, annus, grandioresque cycli invicem confluunt. Una morborum typum, altera formam, tertia characterem generalem vel specialem, vehementiam, et s. p. determinat. Quae eminet, super reliquas choragum agit.

5. Quaquaversum sine regula diffundi possunt, sequendo occasionem contactus.
6. Dispositionem in eundem morbum extinguunt, vel saltem deminuunt.
7. Nulla contagio in epidemiam constitutionalem abire, vel ejus ingenium immutare valet.
8. Juxta diversum constitutionis epidemiae characterem varias sortiuntur vicissitudines, quin tamen specificam et autonomam deponant naturam.
9. Vix unquam pari tempore plures contagionum species in dato spatio, in eodem videlicet populo, rarissime in uno eodemque organismo occurrunt.

NB. Quatenus annonae caritas, vel depravata cerealium qualitas ex adversa tempestatum ratione nascitur, *epidemiae annonariae* (e. g. Raphania) intercurrentibus accenseri debent. Quae ex pravo vivendi genere populi cujusdam proficiscuntur morbi vulgares, uti Pellagra, *epichoreis*, sive *endemiis* adnumerari solent, licet strictam cum climate necessitudinem non semper agnoscant.

Constitutio quotidiana cum rotatione telluris circa proprium axin pari incedit passu, quater intra nycthemerum mutatur, omnique die regulariter redit. Polaris antitheseos extrema, inter quae phases vitae hominum diurnae oscillant, *meridies* et *mesonyctium* praebent. Eis correspondent oppo-

sitiones vitae sensiferae vel somaticae, sensibilitatis vel irritabilitatis, systematis nervosi vel vascularis excellentis vel elanguescentis, quae tempore *crepusculorum* exaequantur, velut ad statum indifferentiae, ut ajunt, reductae.

Constitutio menstrua quovis mense revertitur, quatuor correspondens phasibus Lunae, terram ellipsi parum excentrica circumeuntis. *Luna nova et plena* offerunt extrema culminationis selenicae puncta, quae invicem connectuntur cyclo *Lunae crescentis et decrescentis.* Propter minus manifestum, licet indubitatum, influxum subordinati hujus Sideris super terrigenas, etiam periodicae metamorphoses, quas sub ejus conversionibus in spatio et tempore processus vitalis patitur, sensus facile effugiunt, nisi receptivitatis nervosae altior gradus evidentioribus reactionibus concitandis faveat. Quatenus Luna nova cum imperio diei, et Luna plena cum illo noctis congruit, effectus homologi esse deberent. Si vero perpendimus, quod tempore Novilunii concursus sideris nocturni et super terram notabiliter gravitantis cum luce solari, tempore Plenilunii contra lux solaris reflexa cum noctis caligine concidat, supponere fas est, ipsum Lunae influxum a diurnis phasibus plurimum gubernari, atque modificari. Id saltem in typicis febrium, maxime intermittentium oscillationibus satis adparet. Etiamsi hac in re hodieque nil positivi proferri possit, id tamen sine erroris metu adseverare fors licebit: Lunae imperium potius celeritatem et periodicos circuitus motuum vitalium, sive *typum,* quam eorundem qualitatem et intensionem, seu *characterem* permutare [173]).

Constitutio anniversaria quater mutatur in anno, juxta variam telluris circa Solem gyrantis distantiam et inclinatio-

---

173) „Die Revolution des Mondes um unsere Erde gibt dem Meere „Ebbe und Fluth, der Witterung, den Krankheiten, und vielleicht „selbst dem Wachsthum der Pflanzen ihre Perioden.“ Herder Präludien zur Philosophie der Geschichte der Menschheit. Wien 1813. Seite 206.

nem. Polaris antitheseos extrema *solstitio aestivo* (aphelio), et *hyemali* (perihelio) respondent, atque charactere morborum nervoso, asthenico, vel arterioso, hypersthenico (inflammatorio) comitata incedunt. — Tempore *aequinoctiorum*, quo potentiae e diametro oppositae veluti exaequantur, ac in processu vitali reproductio organica magis actuosa evadit, intermedium fere emicat morborum ingenium, tam influxu selenico, quam conversione telluris quotidiana, ipsiusque atmosphaerae injuriis diversimode modificatum, cui febres intermittentes, gastrismo, vel cachexia consociatae, respondent. — Observationes de hacce permutatione καταστάσεως epidemiae annuae adeo evictae et inconcussae sunt, ut caecutire eos in luce media necesse sit, qui istam naturae vim nec sensibus perviderint, nec ratione sint consequuti. Nemo sane melius et adcuratius Hippocrate hanc morborum secundum tempora partitionem (in *aestivos*, *hybernos*, *vernales*, et *autumnales*) digessit et ordinavit; nam Sectio III. Aphorismorum hac in re paene tota versatur.

Constitutio demum *stationaria* (καθεστηκότες) plurium annorum cyclo circumscribitur, ast eandem pariter praeponderantium vitae manifestationum dichotomiam offert. Observationibus enim evictum est, *modo erethismum, viriumque languorem, modo reagendi facultatem vividiorem et roboris vitalis incrementum diathesin illam summe universalem efficere*, quae priorum instar *e cosmicarum virium permutata* ἐνδυντερία scaturiat, oportet [174]. Quum autem neque Solis, neque Lunae efficaciae seorsim consideratae tribui possit, e determinato potius eorundem Siderum concursu, diversa ad se invicem relatione dynamica, indeque oriunda efficientiarum cosmicarum ἐπαλλαγή, quae post datam annorum seriem eveniunt, eruenda foret.

---

[174]) „Die stehende Constitution ist wahrscheinlich das Product des Conflic„tes unserer Erde sammt ihren Organismen mit den übrigen Welt„körpern. Sie ist das cosmische Princip der Krankheiten.“ Wittmann, über die stehende Constitution in medicinisch-practischer Hinsicht. In Harles rheinischen Jahrbüchern der Medicin. Supplementband. 1822. Seite 144.

Quae supra jam prolixius exposui, abunde confirmant, gravitationis telluricae vim intendi, vel hebetari debere, pro diversa corporum coelestium cum orbe nostro intime nexorum copula, vel oppositione; quo admisso etiam vitae robur et polaritas virium organicarum in cunctis terrigenis analogas oscillationes praebebunt. — *Qualescunque igitur fuerint Siderum ad se invicem necessitudines atque conversiones in spatio et tempore,* — sive illae, quae Solis aut Lunae defectum progignunt, sive, quae sub transitu per nodos orbitae terrestris, aut sub variorum posituum concursu, Aphelii cum Perigaeo, Plenilunii aut Novilunii cum Apogaeo aut Perigaeo, Apsidum cum Lunistitio, Nodorum periodo, et s. p. locum habent, sive demum illae, quae adpropinquante quodam Cometa obveniunt [175]), — *permutationum una cum illis in nostro planeta contingentium nullam aliam insimulare possem causam, nisi variantem gravitatis et mutuae inter orbes coelestes adtractionis nisum,* cujus efficacia in mutandis vitae humanae modis ex hactenus prolatis abunde liquet. — *Gravitatio planetica itaque universale illud mihi videtur esse Agens, illud Divinum,* *τὸ Θεῖον* Hippocratis, sive *Magnale Helmontii* [176]), *cui constitutionis stationariae conversiones auscultant.*

Conditiones geneticae constitutionis stationariae nunquam et nullibi deficiunt; hinc etiam *nullum est tempus, nullusque*

---

[175]) Influxum, quem conjunctiones et oppositiones aliorum Planetarum super globum terraqueum exercere forsitan possent, ceu problematicum hactenus excludere volui; namque desiderantur hodieque experientiae, quae testarentur constitutiones epidemicas sub dato Planetarum coitu mutationem subivisse. Quae a Valentino Trutigero narrantur de pestilentiarum ortu, dum Saturnus cum Marte aut Jove in signo Capricorni vel Cancri coit (Vide Möhsen's Geschichte der Wissenschaften in der Mark Brandenburg, Seite 418), aevum sapiunt Astromanticis somniis obcaecatum. Quamobrem theoria Harlesii, catastasin stationariam unice e relationibus electromagneticis tellurem inter et proximos Planetas explicare studens, licet valde ingeniosa, mere conjecturalis mihi videtur.

[176]) „In toto Universo latet spiritus quidam, quem *Magnale magnum* „dicimus, qui sympathiae et dispathiae leno, confabulator, et actio-„num promotor existit, et ratione cujus magnetismus, tamquam per „vehiculum, ad distans objectum extenditur.“— Paradox. 2. Nr. 12.

locus, ubi vel momentanea tantum Genii stationarii absentia cogitari posset. Verumtamen non inficiandum, subinde circumstantias concurrere, quae illius intensitatem eum in modum hebetant, ut vel adtentissimi observatoris sensibus subducatur. Huc imprimis referri meretur *efficientiae cosmicae,* quae per hanc illamve conversionem in Systemate solari prolicitur, *potestas* vel *reapse minor,* vel *repressa* tantum ob eminens constitutionis annuae, intercurrentis, vel climaticae dominium. In primo casu processus vitalis internis magis auscultat impulsibus autocraticis; in altero influxui anni temporum, tempestatis, vel climatis κατ' ἐξοχὴν obtemperare cogitur. Exinde quoque intelligi poterit, cur tot accidunt Solis aut Lunae eclipses, quin dominans catastasis stationaria vel minimam praebeat mutationem. — Ipse demum *situs geographicus* plurimum confert, ut *constitutio stationaria manifestius in uno loco* adpareat, *obscurius in altero.* Priorem casum in locis centralibus, secundum juxta extremam peripheriam illius plagae, super quam data constitutio stationaria extenditur, obtinere, ratio suadet.

Cum prima causa motrix, saltem quoad formam, nec semper eadem sit, nec aequali recurrat temporis intercapedine; cum insuper pluribus subjiciatur variationibus, prouti cum aestate vel hyeme, cum vere vel autumno, cum die vel nocte, cum Luna plena vel nova congruat, — etiam permutationes, quas processus vitalis inde sortitur, sive, *diatheses morbosae stationariae neque in circuitu et duratione, neque in charactere adeo strictam et constantem offerre possunt regularitatem,* qualem caetera constitutionum epidemiarum genera, intercurrente excepta, observant. Id medicorum observationes adamussim confirmant. Mox enim κατάστασις stationaria per duos tresve tantum annos perdurat; mox ad octennium [177]), et ultra [178]) protenditur.

177) Sydenham, Schedula monitoria de novae febris ingressu. In ejus Oper. medicis. Genevae. 1737. Tom. I. pag. 354.

178) Lentin's Übersicht des Wechsels allgemeiner Gesundheits-Constitu-

Hujusmodi *diversitas durationis et characteris*, quae constitutioni stationariae competit, vel est *realis*, vel solum *adparens*, et a sequentibus dependere videtur circumstantiis: 1) Quod subintrans constitutio stationaria gradus mitioris admodum leves in organismis producit effectus, hinc ejus ingressus adtentioris etiam medici aciem effugit. — 2) Quod nova epidemia stationaria quandoque cum constitutione anniversaria ad altiorem gradum evecta concidit, quae si ejusdem sit ingenii, uti saltem sub ingressu semper evenire solet, hanc ab illa distinguere vetat [179]; si vero successu temporis heterogeneam indolem contrahit, prioris intensitatem quodammodo elidit, ac tanto facilius praetervidetur. — 3) Quod grandi-mundiales, quae sibi succedunt, vicissitudines non semper adeo heteronymae sunt, ut constanti lege post Siderum conversionem, qua gravitationis planeticae nisus intenditur, subsequi necessario debeat status e diametro oppositus. Plures enim et diversae esse possunt circumstantiae, quae unum eundemque producunt gravitationis modo auctae, modo imminutae effectum, atque sibi immediate succedere possunt, quin eorum ortus fundamentalibus naturae legibus adversetur, v. g. eclipses, cometae, transitus terrae per nodos orbitae, variae Siderum systematis Solaris conjunctiones et oppositiones. Tali pacto evenire quoque potest, constitutionem recenter ingressam homonymum ferme emorientis ingenium induere, quo in casu una eademque esse videtur κατάστασις per longius protracta tempus.

Quatenus *duos tantum characteres cardinales constitutionis*

---

tion. In dessen Beyträgen. III. Theil. Zweyte Abtheilung. Nr. 12. Ab anno 1756 ad 1785 in Germania septentrionali characterem asthenico-putridum, ab anno 1785 ad 1803 nervosum et pituitosum dominatum habuisse refert.

179) „Je größer die Übereinstimmung des pathogenischen Characters der ste- „henden Constitution mit dem der gleichzeitig vorkommenden epidemi- „schen und Jahrszeit-Constitution ist, um so überwiegender wird die „Macht der ersteren.“ Harles, Op. cit. pag. 53.

stationariae hucdum stabilire liceat [180]), *asthenicum* utpote *cum neuropathia*, quem passim *nervosum adpellant*, *et hypersthenicum cum angiopathia*, sive *inflammatorium* (pag. 62.); eatenus etiam, docente omnium primo Harlesio, successio nonnisi secundum leges antinomiae, sive contrarietatis fieri poterit, ita ut semper constitutiones oppositae indolis semet excipiant, transitus nempe constitutionis nervoso-asthenicae in inflammatorio-hypersthenicam, et vice versa. Utrum vero sub ejusmodi conversione, uti Kieser suspicatur [181]), quidam character intermedius subnascatur, cum praepollente efficientiae conformatricis et vitae plasticae energia, qui similia offerret indifferentialis syntheseos extrema, ac constitutio annua aequinoctiorum, et quotidiana crepusculorum, hodieque determinari nequit. Quamobrem decidere non ausim, an *constitutio epidemica gastrica*, quam Stoll, Kletten, Lentin, Berndt [182]), aliique memorant, vere stationaria (originis cosmicae) dici possit, an vero potius modificationem epidemiae annuae, vel intercurrentem epidemiam citra morem protractam et vaste diffusam (originis telluricae) praebeat. Qui plures species constitutionis stationariae admittunt, eam aperte cum aliis epidemiarum generibus, annua et intercurrente, confundunt. In huncce errorem prae caeteris incidisse Junckerum, quilibet intelligere poterit, dum sex genera constitutionum ab illo stabilita paulo adcuratius perpendit [183]). Idem dictum esto de constitutione rheumatica et catarrhali, a clariss. Autenrieth perperam ad stationariae dignitatem evecta [184]). Utraque, semper originis telluricae sive atmosphaericae, ceu constitutio intercurrens (Wit=

---

180) Clar. Benditsch primus hanccc dichotomiam expressit, constitutionem admittens inflammatoriam et putrido-nervosam, mera ductus experientia. Vide ejus Op. cit.

181) System der Medicin. I. B. §. 673.

182) Berndt, über die jetzt herrschende Constitutio stationaria gastrica. In Hufelands Journal. Jahrg. 1829. III. Stück.

183) Juncker, Versuch einer allgem. Heilkunde. Th. II. 1791. III. Abschn.

184) Versuche für die prakt. Heilkunde. I. und 2. Heft.

terungs=Constitution) considerari debet, plurimum in veram excandescens epidemiam.

Exordium novae constitutionis stationariae ferè semper cum homologa constitutione annua concidere solet, ita ut genius stationarius hypersthenicus hyeme vel vere, asthenicus autem aestate vel autumno primas agnoscat radices. — Alia insuper observatio communis est, quod *ingrediente* quadam *catastasi atmosphaerae insueta,* — v. g. aestate praeter morem fervida, sicca, omnibusque entibus organicis infesta, vel ex adverso hyeme rigidissima, ac justo longius protracta, — non solum *constitutio morborum anniversaria,* nevro-asthenica, vel angiosthenica, *altiorem adipiscitur gradum, vastiusque dominium,* sed etiàm *ultra praefixos limites protrahitur; et quasi in constitutionem stationariam transit,* eousque plurimum perduraturam, donec per novam et oppositam quandam ἐπαλλάξιν inductae conditiones invertantur. — Ejusmodi conversiones anni temporum insolitae, — licet temperiei gradus, seu excessus caloris et frigoris, palmariam ibi ludat partem, — e fortuitis in ipsa tellure contingentibus vicissitudinibus difficulter concipi possunt, sed potius altioris cujusdam revolutionis grandimundialis effectus esse videntur. Ita v. g. jam summi Aristotelis [185]) aevo veluti res nota habebatur, stellas crinitas proximam sistere causam, quae quidem opinio hodieque a multis, et fors non sine ratione defenditur. Ne tamen Cometis nimia, ut vulgo fieri solet, tribuatur efficacia. — Permutatus vero character constitutionis stationariae veluti coëffectus ejusdem causae universalis habendus, quae extraordinarias anni temporum ac tempestatum conversiones determinat. — Meteorologiae studium indefessum etiam hac in re nova diffundet lumina.

Quotiescunque evolutiones cosmicae insolitas atque insignes in atmosphaera ipsiusque telluris penetralibus concitaverint turbas, quas anni temporum tempestatisque anoma-

---

[185]) Meteorol. Lib. I. Cap. VII.

liae, inundationes, terraemotus, Vulcanorum explosiones, meteora varii generis etc. sequuntur, tunc unacum constitutione stationaria (originis cosmicae) etiam intercurrens (originis telluricae) copulabitur. Prior momentum proëgumenon, altera procatarcticum largitur, e quorum conflictu epidemica generatur lues, tamquam *morbus populi* (Volkskrankheit), qui mox ad eam, ubi ortum duxit, plagam circumscribitur, mox juxta generalem, quam conversiones cosmico-telluricae sequi solent directionem, ab Ortu ad Occasum, diffunditur, exemplo *Influenzae*, Anno 1782 totam Europam pervadentis. Quemadmodum autem certa morborum sporadicorum genera in singulo homine sub adversis circumstantiis contagiosum extricare valent fomitem; ita quoque morbi populares, licet in exordio progeniei mere atmosphaericae fuerint, sub sinistro circumstantiarum concursu in veram *contagionem* degenerare consuescunt, quae eatenus tantum directionem ab Oriente versus Occidentem sequitur, quatenus prophases luis matricis eidem adstringuntur. Exemplum praebet *Mors atra* saeculi XIV., atque *Cholera orientalis* currentis aevi. Contagiones per simplicem fomitis translationem diffusae, nullam observant directionem, nisi eam, quam ipsis fortuitae hominum communiones conciliant.

Quousque character epidemiae stationariae a simplici virium cosmicarum permutatione, ab infracto videlicet vel aucto gravitationis nisu dependet, cardinales tantum vitae manifestationes, seu fundamentales oscillationum organicarum motores, sensibilitas nimirum et irritabilitas, justo majorem vel minorem energiae gradum adipiscuntur. Inde *dichotomia pura constitutionis nervosae, asthenicae, atque inflammatoriae, hypersthenicae, veluti ectypus gravitationis siderum infractae vel adauctae.* — Quod si vero telluricae una concurrant potentiae, quae jam cum singulis et determinatis systematibus organicis atque visceribus specialem necessitudinem habent, etiam character stationarius cum eminenti proclivitate in passionem unius alteriusve sphaerae organismi, hepatis, cutis, pulmo-

num, vel fistulae gastro-entericae incedere poterit. Hujus generis forent exempla de epidemia stationaria *asthenico-putrida,* qualem Lentinus per plurium annorum seriem ab anno 1756 usque ad annum 1785 [186]) et pie defunctus Parens ab anno 1785 usque ad annum 1792 in Volhynia, Podolia et Ucraina [187]) observavit, — nec non casus constitutionis *gastricae,* quam praesertim e Stollii scriptis desumere licet [188]), ubi vices epidemiarum ab anno 1775 ad 1784 recensentur.

Quemadmodum character constitutionis stationariae omnibus morbis epidemicis alius generis atque endemicis sese immiscet, easque, ut Stollii verbis utar, in suam potestatem redigit, ita etiam ille ipse omnigenas a statu atmosphaerae, vel climatis qualitate contrahere potest, imo debet modificationes. — Conversiones uranicae, utut altioris ordinis sint, a legibus vitae telluricae temperationem nanciscuntur; et vice versa.

Licet vicissitudines cosmicae, quibus tenor reciprocae Siderum gravitationis augetur, vel minuitur, aliaeque in nostro planeta mutationes efficiuntur, transitoriae tantum sint; effectus tamen, quos in terricolis ponunt, per satis longam temporis intercapedinem durare poterunt, et quidem eousque, donec factam impressionem nova atque priori opposita deleat. Analogum phaenomenon quotidiana offert praxis in plerisque morborum casibus, in quibus, causa etiam ablata, effectus morbosi diu persistunt. Impressiones forinsecus illatae, et si confestim removeatur prophasis, tantam saepenumero in organismo vivo exerunt efficaciam, ut mox oscillationes ibi suscitent continuas, mox opportunitatem in periodicas impertiant reactiones, absque novae causae inter-

---

186) Lentins Beyträge III. Th. 2. Abth.

187) Val. ab Hildenbrand, Ratio medendi in Schola practica Vindobonensi. Pars altera. 1813. pag. 160.

188) Stollii Ratio medendi. Tom. I. — III.

ventu suapte sponte recurrentes, exemplo febrium intermittentium.

Omnes *constitutiones cosmicae* determinatis, vel plane periodicis recurrunt circuitibus, variisque Siderum revolutionibus; *in tempore* sibi succedentibus respondent. Ad nutum oscillationum grandi-mundialium continuo mutantur, incipiunt, invalescunt, vigent, fatiscunt, ac subintranti dominio locum cedunt. Copulant igitur ideam *motus*, unde merito *constitutiones temporales et mobiles* dici possunt [189]. Quo posito sequitur, eas in motuum vitalium intensitatem, celeritatem et circuitus rationem plurimum influere; *typicas* proinde *Siderum conversiones typicis quoque corporum organicorum oscillationibus* consociari debere. *Typus* autem, ut cum Galeno loquar [190], est ordo intentionis et remissionis (τύπος ἐστὶ τάξις ἐπιτάσεως καὶ ἀνέσεως), qui, si ratis temporibus recurrit, *periodi* nomen nanciscitur (περὶ ὁδός). Quotidianae morborum, et maxime febrium exacerbationes et remissiones rotationi telluris circa axin; periodicae febrium intermittentium accessiones, aeque ac septenarius in acutis pyrexiis cyclus, motui Lunae circa tellurem correspondent. Variatae anni temporum phases, et una cum illis permutatae constitutiones universariae mox continuo, mox intermittenti typo patrocinantur, prouti vel solstitia, vel aequinoctia tangunt. Quoad constitutionem stationariam, e generalibus physices et nosogeniae legibus, quas hactenus enucleare, vel saltem adumbrare studui, sequens stabiliri potest corollarium: quod *constitutio hypersthenica*, cum excessu irritabilitatis vasorum, quae sub dominio praeponderantis gravitationis telluricae viget, *typo continuo*, — *constitutio asthenica* vero, cum excessu sensibilitatis, cujus ortus et dominatus cum elanguida gravitationis planeticae efficacia conspirat, *typo inter-*

---

[189]) Franc. Hildenbrand, Annales Scholae Clinicae Ticinensis Pars I. pag. 84.

[190]) Galenus, de typis. Cap. II.

mittenti auscultet. Confirmant saltem experientiae Reilii, Walchii, Wittmanni, Schnurreri, queis et meas adjungo, febres intermittentes longe lateque grassari, ubi character stationarius nervoso-asthenicus dictaturam tenet (ita accidit annis 1808, 1809 et 1810), dominante contra genio inflammatorio ferme emori.

Quaeque revolutiones cosmicae, indeque oriundae metamorphoses in globo terraqueo, sive mere dynamicae, sive materiales sint, quidquid efficiunt, *in spatio* efficere debent. Proinde etiam καταστάσεως stationariae effectus et phaenomena, qualiacunque demum fuerint, nonnisi in dato spatio cogitari possunt, ideoque determinatis terrae plagis circumscripta sint oportet. Hac in re etiamnum obscura, sequentia stabiliri possunt: 1) Illud sphaeroidis terrestris segmentum praecipuas variationes subire debere, quod influxui Sideris luciferos radios vividius emanantis, vel cohibentis, aliisve modis gravitationem telluricam permutantis quamproxime et directe exponitur. In opposita orbis plaga conditiones contrarias admittere fas est. — 2) Potiorem effectum in locis centralibus illius segmenti oboriri, versus peripheriam autem deminui. — 3) Magis evidentes constitutionis stationariae vices in climate temperato esse debere, ubi cunctae antitheses et variationes cosmo-dynamicae manifestius adparent, quam in zona tropica vel polari, in quibus major esse solet phaenomenorum coelestium uniformitas et constantia [91]). Licet extensio geographica plagae illius, super quam data catastasis stationaria dominatum exercet, hactenus definiri nequeat, suadet tamen ratio, concurrentibus una observationibus nonnullis, eam plures gradus latitudinis et longitudinis geographicae complecti debere. Ita saltem constitutio nevrasthenica,

[91]) „Noch wahrscheinlicher aber, ja vielleicht schon jetzt factisch erwiesen ist „es, daß die Bildung stehender Constitutionen in vollkommnerem und „ausgezeichnet merkbarerem Grade nur in den Ländern der gemäßigten „Zone zwischen den Wende- und den Polarkreisen erfolgt.“ Harles, Oper. cit. p. 48.

quae ultimo decennio saeculi praeterlapsi, atque annis 1808, 1809 et 1810 viguit, per totam Germaniam, Galliam, Italiam et Angliam diffusa comparuit. Idem videtur confirmari per analogam constitutionem jam a biennio (1829 et 1830) superstitem, ac per vastas ditiones diffusam. Efficiunt tamen partim circumstantiae locales climatis, partim fortuitae tempestatum anomaliae, ut variam variis in locis intensitatem patefaciat.

Omnes constitutiones cosmicae, quae regulari circuitu telluris superficiem percurrunt, atque rato ordine definitas plagas pervadunt, *determinatum* quoque observant *itinerarium*. Ita conversiones quotidianae et menstruae ab Oriente versus Occasum, anniversariae ab aequatore versus polos migrant. Quaenam autem sit *directio constitutionis stationariae*, hactenus nondum compertum habemus. Videtur tamen veri simile, eandem et hic obtinere directionem, quam evolutiones grandimundiales universim sequuntur, ab Ortu versus Occidentem, propter oppositam telluris rotationem.

Si paulo curatius perpendimus illas constitutiones stationarias, quae cum ingressu eclipseos cujusdam concidunt, simulque potiores, quae tunc temporis obveniunt, cosmicarum virium ἐπαλλάξεις computamus, sequens fortasse non sine fundamento proferri posset sententia: *defectum Solis constitutioni neuro-asthenicae, defectum Lunae contra angiosthenicae ansam praebere, ac utroque in casu maximam culpam converso reciprocae gravitationis corporum coelestium nisui, longe minorem lucis defectui, nullam vero atmosphaerae qualitatibus sensibilibus mutatis tribuendam esse.*

Anno 1820 et 1823 rem ita se habuisse, in exordio praesentis meletematis indicavi. Cum hisce observationibus in agro Ticinensi institutis adprime collimant et illae clar. Wittmanni, qui eodem temporis intervallo ingenium nervoso-asthenicum constitutionis stationariae in provinciis juxta Rhenum sitis ditionem exercuisse testatur [92]). Consimilis

[92]) Über stehende Constitution. In Harles rheinischen Jahrbüchern. 5. B. 3. St. S. 44—48.

κατάστασις stationaria congruit cum eclipsi Solis totali, quae 10. Novembris 1810 accidit, vastissimo febrium intermittentium dominio [193]), atque insigni febrium continuarum in characterem nervosum proclivitate [194]) distincta. Anno 1811 ad finem vergente genius inflammatorius evolvi coepit, insolitam illam sequutus anni temporum conversionem, quam nonnulli comparenti tunc Cometae adscribere voluerant [195]).

Dolendum profecto plurimos medicos, etiamsi copiosa praxis propitiam largiatur occasionem, stationariam morborum constitutionem negligere penitus et nauci facere; alios contra, licet laudabili Epidemiologiam promovendi desiderio ardeant, vacante copia parum proficere posse. Epidemias enim, earum ingressum, characterem, augmentum et conversionem copiosior plebis rusticanae et egenae concursus ad nosocomia quamoptime docet [196]). Ut vero grave hoc medicinae practicae argumentum exoptatam foenerare possit utilitatem, necessum foret, singulas observationes per industrios medicos variis in locis et multis annis continenter captas non solum invicem, sed etiam cum contemporaneis motuum coelestium ac tempestatum conversionibus quam diligentissime conferre, collatasque observationes communi consilio in ordinem redigere. Figulus quidem, juxta tritum adagium, figulum odit, et rara est concordia fratrum. Sperare tamen licet, vale summo Swietenio, publicam utilitatem bonis omnibus cordi futuram esse satis, ut, remotis contentionibus atque tricis,

---

193) Hufeland's Journal der prakt. Medicin. B. LII. 1. Heft. — Reil's Pathologie.

194) Walch, Untersuchung über die Natur und Heilung des Fiebers. Leipz. 1813. S. 108.

195) Schnurrer, Chronik der Seuchen. 1. B. S. 8.

196) Nosocomium Ticinense raram offert pro epidemiarum observatione opportunitatem; etenim non solum incolae urbis atque provinciae totius, sed etiam coloni limitrophae Laumelinae et Agri Ultrapadani ex antiquis Statutis jure receptionis potiuntur. Celebritas demum Nosocomii ipsius, atque Scholae Clinicae multos e longinquis regionibus adlicit aegrotantes.

ei soli omnem adhibeant operam. Oportet autem prae caeteris, ut observationes exactae sint, evitatis maxime confusionibus inter constitutionem stationariam, annuam, et intercurrentem.

Ea ratione, qua constitutio stationaria varium induit characterem, diversum vitae humanae in statu salutis imprimit tenorem, inque determinatos morbos proclivitatem, etiam *diversae medendi methodi efficaciam et necessitatem vindicat* [197]. Inde quadantenus explicari potest, cur medici, caeterum modestissimi et ab omni grassantes theorias sectandi studio alieni, certo annorum intervallo therapeuticam methodum insensibili paene modo commutent; cur v. g. strenui antiphlogoseos sectatores invito et inscio quasi animo dilectum per multos annos phlebotomum contemnere occipiant, ac regiminis roborantis opes lubenter implorent. Persuadentur equidem sibi facto, universale morborum ingenium aliquam subire debuisse mutationem, quum minus proficiant, vel plane noceant praesidia generosiori manu usurpata, quae antea insigne tulerunt emolumentum; ast ignorant phaenomeni causam. — Quin ipsas *dominantes theorias medicas*, indeque oriundas *Sectas*, sive *Scholas*, annorum fluxu sibi succedentes, et permutato charactere stationario, qui medendi rationem modificari jubet, subinde primas agnoscere radiculas, haud inanis videtur conjectura [198].

In coronidem commentarioli tandem notasse juvabit, quod pro ipsa *generationum prosperitate* nullatenus indifferens sit circumstantia, utrum prima existentiae humanae rudi-

---

[197]) „Cum igitur notabilis adeo diversitas in morbis ejusdem nominis ob„servetur, dum haec vel illa epidemia constitutio dominatum tenet, „sponte liquet, quod et medendi ratio varia esse debeat.“ Swietenii Commentar. in Aphor. Boerh. §. 1405.

[198]) „Dieser Gegenstand, der gewiß das vielseitigste Interesse für den Theo„retiker wie für den Praktiker darbiethet, ja möglicher Weise der Stütz„und Wendepunct für eine ganze therapeutische Theorie und für die „Epoche der Vorherrschaft einzelner Schulen und Curmethoden werden „kann;“ rc. Harles, die Constitutio stationaria. In Jahrbüchern der deutschen Medicin. 1813. I. B. 1. H. S. 5.

menta cum unius, vel alterius constitutionis stationariae dominio concidant. Dum parentes sub ejus generis conditionibus vivunt, quae vitae robur intendunt, etiam soboles longe firmiorem nacturae erunt compagem, quam si primum germen sub elanguido genitorum statu contraxerint, qualem asthenica constitutio cunctis hominibus impertit. Communis caeterum est observatio, generationes certis annorum cyclis majorem vigorem offerre, aliis contra velut emarcescere. Licet hac in re plures una conspirare causas lubenter concedam, constitutionem stationariam tamen inter eas certe non ultimam sibi vindicare dignitatem nullus dubito.

Qui cum Astrologia turpiter et in artis dedecus luserunt, e variis constellationibus hominum fata praesagientes, nobilissimam doctrinam horoscopicis et genethliacis erroribus adeo profanarunt, ut ei non solum omnem detraxerint fidem, sed et omnibus praestigiis inferiorem reddiderint. Merito igitur Astrologia judiciaria, sive Astromantia, — cujus cultores ex stellarum positu ejusque cum nativitate relationibus fausta aeque ac infausta, vitae terminum, mortis genus, aliaque absurda temere non minus quam dolose mendaciterque credulis praedicere hominibus adsolebant, — jam olim inter artes vanissimas, rectius imposturas, relegabatur. Sic Diocletianus et Maximinus Astrologicam artem esse damnabilem et interdictam omnino declararunt. Constans quoque et Julianus, Imperatores, prohibuerunt severissime, ne quis consuleret Astrologos, Haruspices et Divinatores. Honorius demum et Theodosius Astrologos nedum Roma, sed etiam aliis imperii sui civitatibus ejecerunt.

Nihilo tamen secius Astrologia illa superstitiosa, ceu soboles Pseudophilosophiae orientalis, in medicinam sese immiscuit variis temporibus, maxime autem aevo medio, post expeditiones ultramarinas adversus hostes doctrinae Christianae, sub dominio Imperatoris Friderici II., atque saeculo XVI. Petrus Abanensis, Arnaldus de Villanova, Ganivetus, Marsilius Ficinus, Paracel-

sus, Jacobus Foroliviensis, Guainerius, Clementius Clementinus, Melanchton, Milich et Cardanus, principem inter eos occupant locum, qui Medicinam astrologicam coluerunt.

Quamquam suo jam tempore Fracastorius, Pico de Mirandola, Gerson, Valleriola, Rolfink, Sturm, aliique plures infelix illud lolium e laetis scientiarum et cumprimis medicinae satis extirpare omnibus nervis adniterentur, irrita mansere laudabilia eorum conamina, donec fax purioris Philosophiae caliginem ignorantiae, ac turpis sycophantiae dolos dispulisset. Inde vero Astrologia et Astronomia adeo adversam apud medicos nacta est famam, ut seriori aevo absurdum aut penitus ridiculum haberetur, quidquid astrorum influxum super homines vel a procul redoleret. Quanta discrepantia errorum, quos mens humana patitur!

Instat itaque jam tempus, ut, contemtis deliriis astrologicis, aeterna Siderum systematis Solaris super nostrum orbem jura, evidentissimam eorum super terrigenas potestatem, Astrologiae proinde (stricto sensu vocis) in doctrinis medicis necessitatem vindicemus, atque contra frivolas sciolorum injurias tueamur. Istum in praesenti opella finem mihi proposui, clarorum Virorum exempla sequutus. An recte fecerim, aequi decidant judices. Procul abfuit arrogantia, mysteria revelare naturae, semperque procul erit. Primas duntaxat lineas Cosmologiae medicae, scientiae hactenus neglectae, adumbrare studui, quoad circumscripta mentis acies concessit. Arduum ultro excolere argumentum perspicacioris ingenii Viris committo, de cujus praestantia et utilitate in eruendis morborum epidemicorum fontibus plene persuadeor.

Quid pulchrius infinita Siderum aeterno circuitu actorum caterva? Quid eorum majestate sublimius? Quid volupe magis, coeli stellantis contemplatu, ejusque Creatoris Omnipotentis admiratione? Vel invite rapimur ad sempiternos illos globos intuendos, quos tamquam animarum sedes Africano

commonstrat Paullus in somnio Scipionis. Cum Hippocrate [199]) dicam: „*ad artem medicam Astronomiam ipsam non „minimum sed plurimum potius conferre.*“ Provocabo semper ad auctoritatem summi inter Germanos Philosophi, incomparabilis Herderi [200]), cujus verbis opellae colophonem addere lubet: „Vom Himmel muß unsere Philosophie der Geschichte des menschlichen Geschlechts anfangen, wenn sie einigermaßen diesen Nahmen „verdienen soll. Denn da unser Wohnplatz, die Erde, nichts durch sich „selbst ist, sondern von himmlischen, durch unser ganzes Weltall sich erstreckenden Kräften ihre Beschaffenheit und Gestalt, ihr Vermögen zur „Organisation und Erhaltung der Geschöpfe empfängt: so muß man sie „zuvörderst nicht allein und einsam, sondern im Chor der Welten betrachten, unter die sie gesetzt ist. Mit unsichtbaren, ewigen Banden ist „sie an ihren Mittelpunct, die Sonne, gebunden, von der sie Licht, „Wärme, Leben und Gedeihen erhält.“ — Cum prisco naturae vate tandem exclamabo: *Astra regunt homines, sed regit astra Deus.*

---

199) „Eἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρολόγα εἶναι, εἰ μετασταίη τῆς γνώμης, „μάθοι ἂν ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος ξυμβάλλεται αστρονομίη ἐς ἰητρικὴν, „ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον.“ De aëre, aquis, et locis. II.

200) Herder's Propyläen der Geschichte der Menschheit. Erstes Buch. I.

Anakephalaeosis.